

**<Lib. III, Q. 3: Utrum ineffabile Dei Verbum naturam
passibilem <quam> sumpserit de Virgine, sumpserit propte
liberationem humani generis a diabolica potestate>**

1. Circa materiam IIIⁱ libri in quo communiter quaerunt doctores
5 de incarnationis mysterio quaero istam quaestionem: Utrum ineffabile
Dei Verbum naturam passibilem <quam> sumpserit de Virgine,
sumpserit propter liberationem humani generis a diabolica potestate.

2. Et arguo quod non tribus mediis et primo sic. Non est
possibile Dei Verbum aliquam limitatam naturam assumere; ergo
10 quaestio falsa. Consequentia est necessaria; et antecedens probatur,
quia non est| possibile contraria de se invicem praedicari; sed si Dei
Verbum posset limitatam naturam assumere, contraria de se invicem
praedicari esset possibile; sequitur ergo propositum. Consequentia et
maior patent, proba minorem: quoniam si esset possibilis talis
15 assumptio, cum ipsa sit unio, tunc constitutum ex ipsis, vel esset
formaliter infinitum et finitum simul et non divisim, vel oportet quod
divisim. Sed primum non potest dari, quia sic Verbum esset pars
alicuius tertii quod suae perfectioni repugnat; ergo oportet dari
secundum, et per consequens tunc eadem res est finita et ipsa est
20 infinita, similiter corruptibilis et incorruptibilis, quae sunt absurda;
quare propositum.

3. Praeterea, non est possibile Dei Verbum assumere aliquid
unde dicatur peccator; sed si naturam passibilem de Virgine sumpsit,
ipse assumpsit aliquid unde vere potest dici peccator; ergo quaestio
25 falsa. Consequentia et maior patent. Sed proba minorem: quoniam
caro Virginis Mariae et cuiuscumque ab Adam per propogationem
descendentis fuit peccato obnoxia; ergo sumpsisset carnem, inde
sumpsisset aliquid unde vere potuit dici peccator. Consequentia ista
patet, quia ex hoc quis dicitur peccator, saltem originali peccato, quia
30 in eo est caro peccato obnoxia, ita esset in proposito; consequentia illa
bona. Sed antecedens proba, quia habens aliquod antecedens inde
generaliter sequitur aliquid consequens habet illud consequens; sed
antecedens ad peccatum originale est fervor coitus ab aliquo de genere
Adam descendisse, et hoc fuit in generatione Virginis et cuiuslibet ab
35 Adam via propogationis descendentis; ergo sequitur quod quilibet talis
fuit peccato obnoxius; quare propositum.

4. Praeterea, dato quod genus humanum diabolo non fuisset
subiugatum, non minus Dei Verbum assumpsisset naturam humanam
de aliqua virgine; ergo non propter humani generis liberationem ab
40 potestate diabolica Verbum divinum assumpsit naturam de virgine; et
per consequens quaestio falsa. Consequentia patet et antecedens

312,13 possibile] contraria et maior patent proba minorem *add. sed del. C*

probatur, quoniam dato quod genus humanum non fuit propter peccatum primi patris diabolo subiugatum, non minus fecisset Deus quod disposuit facere circa felicitatem humanae naturae; sed ipsam disposuit felicitare plenarie obiective; ergo et sic eam felicitasset, dato quod a suae innocentiae arce non cecidisset. Cum igitur plena felicitas non fuisset nisi etiam pars sensitiva quoad sui perfectionem partem fuisset felicitata, sequitur quod talis pars habuisset obiectum felicitatem ipsam. Tale autem non potest poni angelica natura, cum ipsa non cadit sub obiecto adaequato potentiae visivae; ergo fuisset natura corporalis; sed nulla est adeo perfecta inter naturas corporeas sicut est humana quae cum omnibus habet communicationem. Ergo sequitur quod dato quod genus humanum non fuisset in primo parente lapsu] non minus fuisset a Verbo secundum aliquid suae speciei assumptum.

C 226va

5. Ad oppositum et pro veritate quaestionis est articulus fidei in symbolo declaratus: quod “propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est,” ubi expresse innuitur veritas quaestionis; quare propositum.

<Status quaestionis>

6. Pro decisione istius quaestionis iuxta materiam trium argumentorum ad quaestionis oppositum adductorum, tres erunt articuli pertractandi.. Quorum primus erit iste iuxta materiam primi argumenti: utrum Verbum aeterni Patris potuerit in unitatem suppositalem assumere naturam certis limitibus circumscriptam. Secundus iuxta materiam secundi argumenti erit iste: utrum caro de qua formatum Christi corpus fideliter creditur fuerit aliquando sordibus originalis criminis deturpata. Tertius iuxta materiam tertii argumenti erit iste: utrum beatissimae incarnationis ultimata ratio et praecisa fuerit humani generis relevatio ad pristinam dignitatem.

<Art. 1: Utrum Verbum aeternum potuerit in unitatem suppositalem assumere naturam limitibus circumscriptam>

7. Pro declaratione igitur primi articuli sic procedam. Primo investigabo possibilitatem incarnationis per varias vias; secundo ostendam per exclusionem errantium in materia ista professionem catholicae veritatis; et tertio dubia movebo multiplicia declarantia varios casus in materia ista quam plurimum

60 propositum] pro decisione quaestionis *add. C*

312,56 in symbolo] *Symbolum Ps-Athanasianum*, ed. DENZINGER-SCHÖMETZGER, ed. ???

8. Quantum igitur ad primum est advertendum quod quadruplex
 80 modus imaginandi istam possibilitatem a diversis doctoribus est
 expressus, prout recitat magister Ioannes Warae in principio sui IIIⁱ,
 quorum quilibet nititur salvare unionem naturarum confusionem.
 Primus modus consistit in una distinctione et quatuor propositionum
 85 explicatione. Distinctio est haec: unitas aliquorum potest
 quadrupliciter intelligi, videlicet modo proportionis, modo
 generationis, modo speciei et modo individui. Ut sit unitas
 proportionis unitas analogiae quae est secundum ordinem perfectionis,
 et ista unio est proprie transcendentis, vel illorum quae non suscipiunt
 nisi praedicationem transcendentis, ut est unio substantiae et
 90 accidentis. Unio modo generationis esset illorum qui subsunt eidem
 generi generalissimo, et sic esset unio formae substantialis ad
 materiam primam quae in genere substantiae ponitur secundum eos.
 Modo speciei esset quando illa quae uniuntur sunt eiusdem speciei ut
 sunt formae concreative(?), utpota formae corporales quarum quaelibet
 95 est eiusdem rationis cum alia. Sed unio modo individui est sicut
 suppositi ad naturam sicut dicimus quod Sortes et homo sunt unum.

9. Ista distinctione praemissa ponuntur quatuor propositiones
 quarum prima <est>: unio naturarum in Verbi incarnatione non est
 unitas proportionis. Secunda propositio est haec: talis unio non est
 100 unio modo generis. Tertia est haec: talis unio non est unio modo
 speciei. Ista propositio unica ratione probatur: quaecumque
 unitas est aequalitas numerali nihil maior est maior unio quam aliqua
 praedictarum; sed unio inter naturas, humanam scilicet et divinam, est
 maior vel aequalis unitati numerali; ergo non est aliqua praedictarum
 105 unionum. Consequentia et maior patent per superius declarata; et
 minor est beati Bernardi in *De consideratione ad Eugenium* libro V^o,
 ubi post personarum divinarum unionem secundam ponit unionem
 naturarum in Christo; quare propositum. Quarta propositio est quod
 unio inter praedictas naturas est unio modo individui.

110 10. Ubi advertendum quod ista unio ulterius posset dupliciter
 intelligi, videlicet per modum actus et potentiae, et per modum
 substantificantis et substantificati. Primo modo est unio inter ipsas
 naturas, quia neutra se habet in potentia respectu alterius. Sed secundo
 modo intelligitur ista unio et cum hoc intelligere intellectui non
 115 repugnat nec Deo per consequens hoc facere non repugnat. Apparet

102 nihil] vel(?) C

81 Ioannes Warae] IOANNIS WARAE, *In III Sent.*, ???
 CLARAEVALLENSIS, *De consideratione*, V ???

106 beati Bernardi] BERNARDI

possibilitas incarnationis et unionis duarum naturarum in una persona secundum istam viam.

<Opinio seu argumenta contra supra dicta>

11. Sed iste modus dicendi non videtur sufficiens. Primo, quia per hoc non magis videretur quare Verbum est incarnatum quam Pater et Spiritus Sanctus. Et ergo quamvis forsitan declaratur possibilitas unionis duarum naturarum, non tamen declaratur possibilitas unionis personae sine alia. 120

12. Secundo deficit in hoc quia assignat unionem unius rei ad se ipsam quod est valde improprium; nam inter hunc hominem et hominem non videatur rerum pluralitas sed tantummodo una realitas; ergo ibi assignare unionem est rationi totaliter dissonum, tum quia relatio realis inter extrema realia reperitur, unio vero est realis relatio. Ubi ergo non sunt extrema realia, ibi proprie talis unio minime potest assignari. Et ita per consequens apparet quod similitudo nulla est. Nam inter divinam naturam et humanam realis distinctio reperitur; quare propositum. 125 130

13. Secundus modus dicendi consistit in hoc: imaginatur enim quod prima radix univocationis consistit in ratione specifica specialissimae speciei, quia quaelibet contenta sub specie specialissima habent proprie eandem rationem per exclusionem aequivocationis, et consimiliter idem nomen. Ulterius imaginatur quo quanto aliquae accedunt ad univocationem proprie dictam, tanto minus sunt unibilia, et quanto magis recedunt per consequens sunt magis unibilia. Sicut apparet quod Sortes et Plato minus habent rationem unionis ad invicem quam Sortes et irrationalis substantia, utputa materia vel alia entitas positiva, et igitur apparet quod minor est unio inter individua eiusdem speciei quam inter individua transcendentis, et minor per consequens inter omnia creata quae possunt uniri ad invicem] quam inter Deum et creaturam. Sicut ergo possimus imaginari unionem inter duas naturas finitas, ita a fortiori, secundum istum processum, debemus imaginari possibilitatem unionis inter humanam et divinam naturas. 135 140 145

14. Et pro ista positione est una ratio fundamentalis: in omni unione unita se habent per modum actus et potentiae ut apparet in unione substantiae et accidentis, formae ad materiam, partium ad invicem. Sed quanto magis quis accedit ad univocationem, tanto magis accedit ad rationem actus per exclusionem potentiae. Ergo quanto magis quis accedit ad univocationem, tanto magis recedit a ratione unibilitatis et per consequens quanto magis aliqua recedunt a ratione univocationis, tanto magis accedunt ad rationem unibilitatis. Cum igitur Deus et creatura magis recedant a ratione univocationis quam quaecumque alia, quia Deus et creatura vel nullum habent 150 155

commune univocum, vel si habent, illud inter omnia quae univoce
 160 dicuntur est minus univocum cum magis distet a ratione specialissime
 speciei. Sequitur quod Deus et creatura magis accedunt ad rationem
 unibilitatis quam quaecumque alia, quia magis itur versus actum et
 potentiam simul quam versus aliam partem. Nam quaelibet creatura
 est in potentia obiectivali respectu Dei qua Deus de ipsa potest facere
 165 quidquid sibi placet, et ergo cum sibi non repugnet sic velle uniri nec
 tali naturae, sequitur quod absolute possibile est Deum sibi unire
 naturam humanam, quod principaliter declarandum.

<Contra hunc modum arguendi>

15. Sed contra istum modum dicendi arguitur pro eo quod sumit
 170 fundamentum quod in se non continet veritatem. Assumit enim quod
 quanto aliqua recedunt a ratione univocationis, tanto magis sunt
 unibilia. CONTRA: ex hoc sequitur quod perfectior est unio inter
 substantiam et accidens quam inter corpus humanum et animam
 intellectivam. Consequens est falsum, quia ex corpore humano et
 175 anima intellectiva constituitur unum per se, videlicet homo. Sed ex
 substantia et accidente non fit nisi unum per accidens; ergo
 propositum. Sed consequentia illa probatur: nam quaecumque magis
 participant rationem unibilitatis, illa faciunt magis unum, sicut
 quaecumque magis participant de ratione albedinis sunt magis alba, et
 180 sic generaliter de qualibet ratione. Sed quaecumque magis recedunt a
 ratione univocationis, magis participant de ratione unibilitatis, ut dicit
 fundamentum positionis. Ergo quaecumque talia magis faciunt quam
 quaecumque non-talia. Cum igitur substantia et accidens magis
 recedant a ratione univocationis quam corpus et anima intellectiva,
 185 sequitur quod faciunt magis unum quod tamen, ut deductum est, non
 videtur verum; quare propositum.

16. Praeterea, dato illo fundamento sequitur quod Deus et unum
 accidens sunt magis unibilia ad invicem quam Deus et natura humana.
 Patet, quia magis recedunt a ratione univocationis, | quia si Deus
 190 ponatur in genere substantiae, ut quidam fuerunt imaginati, tunc Deus
 et quaelibet substantia haberent univocationem generis quam non
 haberet cum accidente; quare propositum. C 227rb

17. Quod tamen non videtur verum, cum omnia aequae sint in
 potentia obiectivali respectu Dei, immo quanto creatura est perfectior,
 195 tanto in se habet perfectiorem potentiam obiectivalem, et per
 consequens quanto creatura est perfectior, tanto est Deo unibilior;
 quare propositum. Immo sequitur ex illa radice quod quantae creatura

170 Assumit enim] Cf. supra n. 14.

est perfectior tantae generaliter est minus Deo unibilis, quod non videtur verum; quare propositum.

18. Praeter hoc ista via est insufficiens, quia ex hoc non habetur qualiter sit possibile unam personam sine alia incarnari; quare propositum. 200

<Tertius modus dicendi>

19. Tertius modus dicendi sumit pro radice quod qualis habitudo consurgit aliquorum ad invicem ex compositione formae ad materiam, consimilis videtur inter naturam et suppositum. Nunc autem triplex habitudo reperitur consurgere ex compositione formae ad materiam. Una est in qua materia excedit formam secundum inclinationem et appetitum, ut patet in generabilibus et corruptibilibus ubi appetitus materiae excedit suam formam, et haec est causa corruptionis. Alia habitudo est in qua forma excedit materiam, ut patet de corpore humano et anima intellectiva quae excedit suam materiam, cum ipsa post corruptionem suae materiae maneat. Tertia habitudo est in qua appetitus formae non excedit materiam nec est contra, ut apparet in corporibus caelestibus. 205 210 215

20. Conformiter est inter suppositum et naturam, nam aliquod suppositum excedit naturam quam supponit, quia substantia una numero existit in natura ignis et aeris. Aliqua vero natura excedit suum suppositum, ut patet de anima intellectiva quae manet post corruptionem sui suppositi. Aliqua vero natura quae aequatur suis suppositis et est contraria ut patet in divina natura. 220

21. Ad propositum igitur: in nulla natura humana aequatur natura suo supposito, immo natura excedit suppositum proprium cum ipsa sit in potentia obiectivali respectu Dei et per consequens stat ipsam uniri alteri et suppositari a divino supposito et non a propria personalitate, cum in supposito proprio tota inclinatio talis naturae non terminetur totaliter, sed potius in divino supposito. 225

<Contra tertium modum dicendi>

22. Sed hic modus videtur deficere in hoc quia videtur ponere distinctionem realem inter suppositum et naturam quod, ut postmodum videbitur, non est verum. Secundo quia propositum non declarat sicut nec alii duo modi praecedentes. Tertio, quia supponit quod natura humana possit esse et non esse in supposito proprio, quod forsitan multi, et maxime philosophi, impossibile reputarent, et hoc indiget magis declaratione. Quarto, quia multis videretur impossibile suppositum independens posse supplere vicem suppositi dependentis et hoc maxime philosophis; et ideo quorum possibilitatem declarare 230 235

C 227va

207 compositione] materiae *add. sed del. C*

deberet; suppositio propterea non est multum sufficiens, nec mentem
possibilitatem videre volentis quietat; quare propositum.

240

<Opinio Ioannis Warae>

245 **23.** Quartus modus dicendi, et est magistri Ioannis Warae ad
propositum magis accedens. Duo declarat: primum quod naturae
humanae non repugnat Verbo hypostaticae uniri; secundum quod nec
supposito Verbi repugnat supplere vicem suppositi creati. Et ex his
duobus sequitur possibilitas propositae quaestionis.

<Conclusio 1>

250 **24.** Prima igitur conclusio sic probatur et hoc theologice: non
magis repugnat substantiae sumere modum accidentis quam repugnet
accidenti sumere modum substantiae; patet in accidentibus in
sacramento altaris ubi accidentia habent modum substantiae, nam
existunt sine subiecto; ergo nec substantiae repugnat sumere modum
accidentis. Quam igitur possibile est accidens non substantificari ab
aliquo subiecto, tam et possibile est substantiam substantificari ab
aliquo supposito, et per consequens ex parte naturae humanae nulla
255 repugnantia reperitur.

25. Praeterea, Deus potest conservare prius sine suo posteriori.
Cum igitur ratio individualitatis et singularitatis sit ratione
suppositionaliter prior, sequitur quod Deus potest conservare aliquam
naturam sub ratione singulari, non conservando eam sub ratione
260 suppositionali. Et per consequens cum naturae non habenti propriam
suppositionalitatem non repugnet ad aliud suppositum inclinari, sequitur
quod nulla repugnantia est ex parte humanae naturae. Sed quod prior
sit ratio singularitatis ratione suppositionali apparet ex hoc quoniam
“prius est a quo non convertitur subsistendi consequentia.” Nunc
265 autem omne suppositum est individuum et non e contra, quia
accidentia habent rationem singularitatis non tamen suppositionalitatis;
quare propositum.

26. Secundo probatur possibilitas ex parte assumptis sic: ad hoc
quod aliqua forma habeat aliquem actum sufficit quod habeat
270 principium talis actus formaliter vel aequivalenter. Verbi gratia, ad
hoc quod forma ignis calefaciat, sufficit vel quod in ea sit calor vel
virtus potens facere quidquid calor potest. Nunc autem suppositum
humanum substantificat naturam humanam. Ad hoc igitur quod
aliquid substantificet naturam humanam requiritur vel quod sit

263 ratio] suppositionalitatis *add. sed del. C*

264 prius...consequentia] ARIST., *Categ.*, c. 12 (AL I-1, 37; c. 12; 14a 29-30): “Secundo
quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam.”

humanum suppositum vel potens supplere vicem humani suppositi, et 275
hoc est ipsum suppositum humanum virtualiter continere.

27. Cum igitur suppositum Verbi habeat perfectius virtutem
suppositi humani quam ipsummet suppositum humanum, sequitur
quod perfectius potest substantificare humanam naturam quam possit 280
ipsum suppositum humanum; quam igitur est possibile de supposito
humano, tam est possibile de supposito divino. Nec ex hoc in
supposito Verbi intelligitur aliqua potentia passiva, quia ista
substantificatio est maxime activa.

<Contra opinionem Ioannis Warae>

C 227vb 28. Sed licet iste modus dicendi probabilis videatur, tamen in| 285
suis rationibus multa deficit; assumit quae non videntur vera. Primo de
hoc quod dicit quod substantiae non repugnat modus accidentis nec
accidenti modus substantiae. CONTRA: quam repugnat alicui esse
substantiam, tam repugnat eidem id quod est substantiae intrinsicum.
Sed modus existendi per se est modus ipsius substantiae et per 290
consequens quid sibi intrinsicum, cum modus sit rei intrinsicus cuius
est modus; ergo quam repugnat accidenti esse substantiam, tam
repugnat eidem habere modum substantiae.

29. Praeterea, si talis modus esset substantiae, sequitur quod
generaliter consequeretur totum praedicamentum substantiae, et per 295
consequens tam materiae competeret per se subsistere quam competit
cuilibet supposito, quod non videtur verum. Non ergo verum est quod
assumitur pro radice. Nec exemplum de Eucharistia facit ad
propositum, quia accidens, etsi non actualiter cum naturali aptitudine
ad subiectum inclinatur, non sic autem est de humanitate, quia non 300
inclinatur naturali aptitudine ad aliquod suppositum increatum; quare
propositum.

30. Praeterea, contra hoc quod dicit de singularitate et
personalitate quae se habent secundum prius et posterius. Si radix illa
generaliter esset vera, sequitur quod Deus posset facere naturam 305
humanam sine aliqua singularitate, quia per prius est hanc naturam
humanam esse humanam naturam quam esse singularem naturam.
Ergo conformiter per deductionem salvet Deus id quod prius est sine
posteriori, et tunc sequitur conclusio intenta quod aliqua natura
humana est quae non est singularis; quare propositum. 310

31. Praeterea, contra hoc quod dicit quod suppositum divinum
continet personalitatem creatam, arguo sic: si ex perfectione entitatis
proveniret perfectionaliter posse continere personalitatem creatam,

306 hanc] esse *add. sed del. C*

303 quod dicit] Cf. supra n. 25. 311 quod dicit] Cf. supra n. 26.

sequitur quod cum divina essentia sit immense perfecta formaliter
 315 quod ipsa contineret perfectionaliter rationem suppositalem creatam,
 et tunc ita posset secundum rationem propriam terminare
 dependentiam alicuius naturae creatae personabilis et assumere ad
 unionem personalem sicut nunc facit Verbum, quod non videtur
 verum pro eo quod tunc ex se formaliter haberet rationem
 320 personalitatis, et ita sequeretur quod esset personalitas essentialis,
 quod falsum est; quare propositum.

32. Praeterea, si ratio personalis divina contineret
 perfectionaliter realitatem personalitatis creatae, et cum non sit maior
 ratio de una quam de alia, sequitur quod infinitas tales realitates
 325 perfectionaliter continet, et ita per consequens ratio personalis in
 divinis esset formaliter perfectio simpliciter, consequens est falsum,
 quia tunc talis personalitas esset formaliter infinita. Et consequentia
 patet, quia quod eminenter continet infinitas perfectiones est infinite
 perfectum simpliciter; quare propositum.

330 33. Sic igitur apparet quod licet praedictae opiniones
 aliquantulum declarant propositum, non tamen omnia quae
 assumuntur continent veritatem.

<Responsio auctoris>

34. Nunc post praetactas opiniones restat possibilitatis modum
 335 circa incarnationis mysterium declarare. Pro quo exsequendo quatuor
 sunt per ordinem sub| compendio declaranda: primum quid nomine
 incarnationis intelligitur; secundum qualiter personae divinae potest
 incarnationis condicio convenire; tertium qualiter humanitati condicio
 praedicta potest convenire; et quartum qualiter cum personarum
 340 identitate essentiali stat unam personam sine alia incarnari.

C 228ra

**<Subart. 1: Quid nomine incarnationis intelligitur. Propositio
 1>**

35. Pro primi igitur declaratione sex pono propositiones quarum
 prima est haec: incarnatio non est aliqua relativa entitas dependens ex
 345 opere intellectus. Ista conclusio sic probatur: quoniam per nullum ens
 rationis dicitur aliquid realiter tale; sed per incarnationem Verbum
 divinum dicitur realiter incarnatum; ergo incarnatio non est ens
 rationis et per consequens nec dependens ex opere intellectus.
 Consequentia et minor patent. Et maior declaratur, quoniam effectus
 350 formalis alicuius formae proportionaliter sequitur latitudinem suae
 formae, quia quaelibet forma non est plus informativa quam sit forma
 in sua natura. Cum igitur relatio rationis non sit ens reale, sequitur
 quod numquam suum subiectum denominabit realiter tale; quare
 propositum.

355

<Propositio 2>

36. Secunda propositio est haec: incarnatio non est aliqua entitas formaliter absoluta. Ista conclusio sic probatur: Deus potest naturam sibi unitam dimittere sine quacumque corruptione alicuius rei absolutae; ergo propositum. Consequentia ista patet, et antecedens probatur: quoniam nullum absolutum existens in humanitate Christi dependet ab incarnatione, quia nec sua materia nec forma nec aliquod accidens absolutum consequens suam complexionem. Et consimiliter nullum absolutum existens in Verbo dependet ab incarnatione, quia quodlibet absolutum quod est in Verbo praefuit, et similiter potuit fuisse de humanitate assumpta. Quare incarnatio non videtur aliquid absolutum nec ex parte Verbi nec etiam ex parte humanitatis; quare propositum.

<Propositio 3>

37. Tertia propositio est haec: incarnatio est realis relatio et entitas positiva. Ista conclusio sic probatur: quandocumque ex positione alicuius rei sequitur realis denominatio in aliquo absoluto, et ex ipsius amotione tollitur talis denominatio, res huiusmodi est entitas positiva. Sed ex positione incarnationis aliquid vere et realiter dicitur incarnatum ut patet, quia tam Verbum quam etiam assumpta humanitas dicuntur realiter incarnata. Ergo sequitur quod incarnatio est entitas positiva. Cum igitur non sit ens rationis, ut dicit prima conclusio, nec etiam aliquid formaliter absolutum, sequitur quod est realis relatio; quod est propositum.

<Propositio 4>

38. Quarta propositio est haec: incarnatio non est relatio ex parte extremorum vel quorumcumque absolutorum statim consurgens. Ista propositio sic probatur: incarnatio est relatio extrinsecus adveniens; ergo conclusio vera; consequentia patet. Et antecedens probatur: quoniam illa relatio est extrinsecus adveniens ex cuius positione nulla mutatio sequitur in altero extremorum; sed in incarnatione nulla mutatio intelligitur ex parte Verbi cum sit simpliciter immutabile; ergo sequitur quod incarnatio est relatio extrinsecus adveniens. Consequentia ista patet. Et maior declaratur: quoniam ex hoc quod Sortes nunc noviter existit in rerum natura consurgit similitudo sui ad omnes homines sine quacumque aliorum hominum mutatione ad hoc pertinente, et per consequens talis similitudo non consurgit ex positione aliorum hominum qui praefuerunt, et ergo non provenit ex ipsorum positione sed eis advenit, quare nec est intrinsecus adveniens. Sed de incarnatione potuit fuisse ex parte utriusque extremi quod quodlibet praefuerit, et incarnatio fuisset subsecuta ipsorum

³⁷⁶ prima conclusio] Cf. supra n. 35.

extremorum positionem; ergo sequitur quod generaliter illa relatio est extrinsecus adveniens quod non commutantur extrema de necessitate; quare propositum.

<**Propositio 5**>

400 **39.** Quinta propositio est haec: incarnatio non est relatio ordinis
 exprimens dependentiam effectivam. Ista conclusio apparet ex his
 quae fide tenemus, quoniam Verbum tantum est incarnatum; sed
 quodlibet exprimens dependentiam effectivam est tribus personis
 commune; igitur incarnatio ex sui ratione non exprimit dependentiam
 405 effectivam. Consequentia ista patet et minor, quia dependentiam
 creaturae in ratione causae efficientis terminant omnes tres personae
 sub ratione Creatoris, quia creatio est tribus communis; cum igitur
 incarnatio non sit tribus communis, sequitur propositum.

<**Propositio 6**>

410 **40.** Sexta propositio est haec: incarnatio est relatio ordinis
 absque causali dependentia conceptibilis exprimens posterius in tali
 ordine subsistere per rationem prioris. Ista conclusio declaratur:
 constat quod accidentis ad suum subiectum est duplex habitudo: una
 est informantis et hoc dicit imperfectionem ex parte subiecti. Alia est
 415 sustentificati, et ex parte subiecti est habitudo sustentificantis, et hoc
 nec dicit formaliter perfectionem nec imperfectionem. Nunc autem
 ista relatio quae est per modum sustentificantis, seclusa informatione,
 est habitudo posterioris ad prius, utpote accidentis ad substantiam, et
 per consequens est relatio ordinis, non tamen exprimit causam
 420 effectivam existere id quod prius est respectu posterioris, utpote quod
 substantia sit causa efficiens accidentis, quia stat substantiam et
 accidens simul ab aliquo tertio effective produci, sicut apparet in
 nivis(?) productione et aliorum plurium ubi substantia non est causa
 efficiens accidentis et tamen accidens habet subsistere per rationem
 425 substantiae, quia non habet propriam subsistentiam. Talis igitur est
 imaginanda unio personalis quae nihil aliud videtur quam incarnatio
 secundum realitatem, quia posset personalis unio quamvis non
 incarnatio; in plus enim se habet personalis unio quam se habeat
 incarnatio.
 430 **41.** Ex quibus apparet quid nomine incarnationis intelligitur,
 videlicet quaedam relatio ordinis absque causali dependentia
 conceptibilis exprimens posterius in tali ordine subsistere per rationem
 prioris; et tantum de primo.

435 <**Subart. 2: Qualiter personae divinae potest incarnationis
 condicio convenire. Propositio 1**>

42. Circa secundum, videlicet numquid condicio repugnet divinae personae, dico tres propositiones ex quibus habebitur intentum. Prima est haec: relatio iam expressa compositionem non arguit in extremo per modum tertium se tenente. Ista propositio apparet, quoniam si praemissa relatio compositionem argueret, aut hoc faceret in quantum est relatio ordinis, aut in quantum exprimit posterius subsistere per rationem prioris. Primum non facit, quia tunc arguit in Deo compositionem quod falsum est, cum ipsa, ut relatio est, exprimat dependentiam posterioris a priori et per consequens exprimit ordinem. Nec secundum impedit, quia qualitas spiritualis subsistit per rationem animae intellectivae, ut patet de suis affectionibus et cognitionibus, et tamen ista subsistentia non arguit compositionem in extremo terminante dependentiam accidentis; quare propositum.

<Propositio 2>

43. Secunda propositio est haec: relatio iam expressiva potentialitatem non arguit in extremo per modum termini se tenente. Ista propositio apparet per similem rationem quae est facta pro praecedente propositione, quia vel hoc faceret ut relatio ordinis, et hoc non, quia tunc pari ratione esset de creatione. Nec etiam in quantum exprimit posterius subsistere per rationem prioris, quia ex hoc formaliter non sequitur quod sustentificatum informet sustentificans ipsum, quia ut dictum est, alia est habitudo per modum informantis et alia per modum sustentantis. Nunc autem, licet habitudo informativa dicat imperfectionem et potentialitatem, non tamen habitudo sustentificata; quare propositum.

<Propositio 3>

44. Tertia propositio est haec: relatio expressa saepius limitationem non arguit in extremo per modum termini se habente. Ista propositio consimili via patet, quoniam hoc non facit ut relatio ordinis ut prius deductum est, nec ut relatio exprimens posterius subsistere per rationem prioris, quia quod aliud subsistit per aliud, nec arguit formaliter finitatem vel infinitatem. Patet quod non arguiat infinitatem de substantiis et accidentibus ubi accidentia subsistunt per rationem substantiarum. Nec etiam finitatem, quia subsistentia deitatis, ut sic, nullatenus exprimit finitatem; ergo videtur quod ratio subsistentiae formaliter non exprimit finitatem vel infinitatem. Et per consequens nec relatio exprimens finitum subsistere per aliquam subsistentiam arguit formaliter talem subsistentiam esse finitam, quia imaginatio bene capit quod si esset aliqua anima infinita, adhuc sua intellectio, quae est quoddam accidens, subsisteret per subsistentiam

453 praecedente propositione] Cf. supra n. 42. 465 prius deductum] Cf. supra n. 43.

animae talis. Non ergo formaliter ex hoc quod finitum subsistit
subsistentia infiniti ponit aliquam limitationem in finto; quare
propositum.

480 **45.** Ex quibus propositionibus infero quod proprietati alicuius
personae nullatenus repugnat terminum exsistere praefatae relationi.
Ista conclusio apparet, quia si tali proprietati repugnaret, aut hoc esset
quia argueret compositionem in ipsa, et hoc non ut dicit prima
propositio; aut quia dicit potentialitatem, et hoc non ut vult secunda
485 propositio. Quare cum mille aliae rationes videantur exprimere
repugnantiam, sequitur quod nullatenus personali proprietati repugnat
esse terminum talis relationis.

46. Praeterea, talis| relatio exprimit in posteriori dependentiam
sustentificativam; sed independenti non repugnat terminare
490 dependentiam terminantis. Cum igitur proprietas personalis sit
independens, sequitur quod proprietati personali non repugnat
terminum exsistere talis relationis. Minor apparet quoniam tota Trinitas
est terminus dependentiae totius creaturae; quare propositum.

C 228vb

<Obiectiones aliquae contra praedicta>

495 **47.** Sed forsitan hic dicitur quod secundum hoc materia prima
posset terminare dependentiam cuiuslibet accidentis cum sit
independens in tali genere causalitatis, quod tamen falsum est, quia
non posset terminare dependentiam sapientiae nec caritatis nec
aliorum accidentium spiritualium quibus anima humana redditur
500 deiformis. Sed istud non obviat, quia requiritur quod tale independens
saltem secundum suum esse essentiale eminenter contineat illud cuius
dependentiam terminat, quod in proposito non est verum de materia
prima; sed in proprietate personali non est verum, cum ipsius esse
essentiale sit formaliter infinitum independentem et per consequens
505 eminentem continens quamlibet substantiam limitatam, quapropter
sequitur quod ipsi proprietati non repugnat talem dependentiam
terminare. Ex qua manifeste sequitur quod nulli proprietati personali
repugnat incarnari quantum est ex condicione suae proprietatis.

510 **<Subart. 3: Utrum humanitati repugnet condicio praedictae
relationis>**

480 relationi] relationis(?) C **500** independens] si *add. sed del.* C **502** materia] natura(?)
C

482 prima propositio] Cf. supra n. 42. **483** secunda propositio] Cf. supra n. 43. **484**
tertia propositio] Cf. supra n. 44.

48. Circa tertium, videlicet an humanitati repugnet praedictae relationis condicio, est advertendum quod si hoc sibi repugnaret, hoc foret maxime quia talis humanitas est per se subsistens et habens personalitatem, et per consequens tertium modum perseitatis cui non competit ab altero sustentari.

515

<Propositio 1>

49. Et ideo ad videndum istud clarius, investiganda est condicio personalitatis. Pro quo ad praesens pono tres propositiones, quarum prima est haec: ratio personalitatis in creaturis non est formaliter aliquid positivum. Volo dicere quod signata aliqua creatura de qua verificatur quod est persona, dico quod ultra suam naturam ratio personalitatis non dicit aliquid formaliter positivum. Ista propositio sic probatur praesupponendo quae sunt fidei, videlicet quod Deus potest dimittere naturam quam assumpsit. Tunc arguo sic: dimittat ipsam Deus non causando aliquid formaliter positivum; tunc quaero: aut talis natura erit persona aut non. Si sic, habetur propositum. Si non, sequitur quod caret perfectione quae requiritur ad perfectionem hominis et hanc prius non habuit, ergo sequitur quod non, sed omnem rationem sui perfectionis fuit assumpta, quod non est verum. Similiter si talis personalitas esset aliquid positivum ultra naturam, sequitur quod in natura humana esset aliquid positivum inassumptibile, immo cui contradictorie repugnat assumi. Consequens non videtur verum, quia secundum sanctos doctores quod inassumptibile est, incurabile est. Nunc autem quodlibet positivum in homine curabile fuit, ergo et assumptibile, et per consequens nihil tale esset formaliter positivum per quod natura humana dicitur persona.

520

525

530

535

50. Praeterea, tale positivum vel esset substantia vel accidens. Non substantia, quia vel rationalis vel irrationalis. Non rationalis, quia tunc quilibet homo esset duae substantiae rationales quod non videtur verum. Nec irrationalis, quia substantia rationalis non est determinabilis per substantiam irrationalem. Nec est accidens, quia tunc non esset de ratione formali hominis. Et per consequens staret quod quodlibet suppositum intellectualis naturae esset absque hoc quod esset persona, cum quaelibet natura intellectualis possit existere sine accidentibus quibuscumque et hoc ut natura intellectualis, quod tamen videtur falsum, cum persona sit intellectualis naturae individua subsistentia; quare propositum.

C 229ra

540

545

<Propositio 2>

51. Secunda propositio est haec: ratio personalitatis formaliter non consistit in negatione dependentiae actualis. Volo dicere quod per

550

525 formaliter positivum] *inv. sed corr. signis transp. C*

hoc quod aliquid non sustentatur actualiter alio et est rationalis substantia, non dicitur persona. Ista apparet, quia anima a corpore separata est actualis substantia nec unitur alicui, et tamen non est persona ut communiter dicunt doctores; quare propositum.

555

<Propositio 3>

52. Tertia propositio est haec: ratio personalitatis consistit formaliter in negatione duplicis dependentiae, aptitudinalis videlicet et actualis. Verbi gratia, pro intellectu conclusionis aliquid non est unitum nec ab alio sustentificari potest intelligi dupliciter: aut quia
560 non est actualiter in alio, quamvis ex sua natura habeat inclinationem ut sit in alio, aut sic quod non solum non est in alio sed etiam ex sua natura habet quod non sit in alio, sicut grave statim cum ponitur, nisi adsit impedimentum, habet ut sit deorsum; cum vero ponitur extra locum suum naturalem, licet actualiter non sit ibi, tamen habet
565 inclinationem ut sit deorsum. Sic est de anima quando a corpore egressa propter impedimentum, videlicet indispositionem inductam in suo susceptibili quae tamen habet ad suum corpus dependentiam aptitudinalem. Dico igitur quod quando aliqua natura intellectualis, nec alteri actualiter unitur nec apta nata, est ex sua natura alteri uniri,
570 tunc dicitur persona.

53. Ista conclusio sic intellecta, apparet manifeste. Nam assignata humanitate a Verbo assumpta, ita ipsa ex sua natura habet quod non est inclinata ut sit unita, sicut nunc est de Sorte. Ergo si qua
ratione quod unum est persona et non aliud, hoc est propter
575 negationem actualem super additam aptitudinali negationi; quare propositum.

54. Sed quomodo actualis dependentia non repugnat tali naturae? Hic dico quod in qualibet natura creata est imaginanda obiectivalis potentia quae per agens naturale vel finitae potentiae non
580 potest educi, sed solum per agens potentiae infinitae. Nunc ergo in humana natura possunt duo imaginari: unum per modum potentiae quo potest de ipsa fieri quidquid libet voluntati omnipotentis; aliud per modum cuiusdam naturalis sequelae quo ex se non habet ut sit unitum; sed si naturae| propriae relinquatur, tendit in sui per se subsistentiam,
585 non tendentia affirmativa sicut grave tendit deorsum, sed naturali sequela ut sequatur, hoc est naturae propriae relictum; ergo haec est persona.

55. Ad videndum igitur istam possibilitatem advertendum est quod cum obiectivalis potentia ad actum reducitur, nihil positivum
590 aufertur ab humana natura sed solum tollitur negatio dependentiae

C 229rb

551 actualiter] vel *add. sed del. C* 581 natura] *mg. C*

actualis quae nihil positivum est. Et ideo cum illud sit alicui naturae possibile quod nihil tollit de integritate talis naturae, et in assumptione huiusmodi non tollitur nisi negatio actualis dependentiae quae non est aliquid pertinens ad integritatem humanae naturae, sequitur quod tali naturae non repugnat taliter a Verbo assumi.

595

56. Et si DICATUR quod secundum hoc talis natura violenter esset cum Verbo, cui ex sui natura habet quod sit persona et quod non actu debeat, sicut grave cum est extra locum suum naturalem violenter est in illo loco quia ex sui natura habet quod tendat deorsum.

57. Hic DICO quod negatio dependentiae est triplex: quaedam actualis, quaedam possibilis et quaedam aptitudinalis. Sic per oppositum est triplex dependentia, sicut verbi gratia superficies habet negationem ad esse album et similiter angelus, sed una negatio est actualis et alia possibilis, quia angelus non potest suscipere albedinem saltem naturaliter. Similiter grave habet negationem ad sursum quia non est aptum natum esse sursum. Dico igitur quod positio in actu obiectivalis potentiae in nullo repugnat aptitudinali negationi. Sed opposita affirmatio talis negationis quae non ponitur ex ratione obiectivalis potentiae in actu, et ideo non sequitur quod violenter existat in Verbo. Sed positio gravis extra locum suum naturalem bene opponitur aptitudini gravis; et ideo similitudo non arguit propositum.

600

605

610

<Subart. 4: Quomodo stat unum suppositum incarnari sine alio. Propositio 1>

58. Circa quartum, videlicet quomodo stat cum identitate naturae unum suppositum incarnari sine alio, dico duas propositiones quarum prima est: terminativum alicuius relationis non coexigit necessario ut sit aliquid formaliter absolutum. Istud probatur: possum diligere Sortem et non sub ratione Sortis, sed praecise sub ratione ista respectiva quia est pater, tunc certum est quod actus dilectionis non terminatur formaliter ad aliquid absolutum et hoc primo et immediate, et tamen in actu dilectionis meae est ratio attingentiae inter actum et talem paternitatem. Non ergo repugnat relativo formaliter esse terminativum alicuius relationis sive rei absolutae.

615

620

<Propositio 2>

59. Secundo propositio est haec: quod divina relatio formaliter non est formaliter divina essentia. Ista patet, quia contradictoria de aliquibus terminis significantibus aliqua numquam verificari possunt nisi inter ipsorum significata sit aliqua distinctio; sed ita est in

625

607 repugnat] obiectivali *add. sed del. C*

614 Circa quartum] Cf. supra n. 34.

630 proposito; ergo cum ibi non sit tantum distinctio rationis nec realis,
 oportet quod sit formalis.] Et ex hac propositione et praecedente C 229va
 habetur propositum, videlicet quod possibile est unam personam sine
 alia incarnari. Quoniam si esset repugnantia, aut hoc esset quia nihil
 potest terminare dependentiam talis naturae immediate nisi divina
 635 essentialis, et hoc non per primam propositionem; aut propter
 essentialis identitatem, et non impedit quia formalis distinctio
 impedit ne quidquid dicitur de essentia de qualibet persona dicatur, et
 sic apparet quod absolute fuit possibile unum suppositum sine alio
 incarnari.

640 **60.** Recolligendo praedictorum sententiam, ratio incarnationis ex
 se non habet conceptionem impossibilem cum imaginetur per modum
 habitudinis denotantis posterius subsistere per prioris subsistentiam
 sine quacumque informatione, et per consequens incarnationis ratio
 non arguit compositionem, limitationem vel potentialitatem in
 645 subsistentia terminante. Et ergo sic terminare nulli divinae perfectioni
 repugnat cum ex hoc non arguatur composita potentialis vel limitata,
 nec huius relationis existere fundamentum repugnat alicui personae
 creatae cum ipsa ratio personalitatis non dicat aliquid positivum. Et
 ergo, licet natura de qua verificaretur esse personam non esset persona
 non propter hoc perdit aliquam sui naturalem perfectionem, sed
 650 tollitur praecise denominatio negationis actualis dependentiae. Igitur
 nulli perfectione divinae repugnat incarnari, tam ex condicione
 incarnationis quam ex condicione assumptis quam etiam ex
 condicione naturae assumptae. Et quia relationi non repugnat
 terminare aliquam relationem ex ratione propria cum ipsa sit ab alia
 655 non tali distincta, ideo stat proprietatem relativam sine relativis
 proprietatibus Patris et Spiritus Sancti aliquam dependentiam
 terminare, cum talis terminatio non fiat sub ratione principii effectivi.
 Nec obstat divinorum suppositorum essentialis unitas propter
 distinctionem formalem ex natura rei inter divinam essentiam et
 660 aeternas origines constitutam. Sic igitur apparet qualiter potest
 intelligi possibilitas beatissimae incarnationis demonstratio. Et ista pro
 nunc sufficiant quantum ad lectionem praesentem.

665 **61.** Consequenter per exclusionem errantium in ista materia
 declaranda est professio catholicae veritatis. Ad quod exsequendum
 necessarium est inspicere unde radicaliter oritur divisarum naturarum
 mutua concretiva denominatio in uno supposito. Ex cuius declaratione
 apparebit unde consequitur quod Deus est homo et homo Deus, et
 similiter quod mortale est immortale, et sic de aliis praedicabilibus
 quae connectunt integritatem fidei circa materiam istam.

650 denominatio] actio *add. sed del. C*

<Propositio 1>

670

62. Pro cuius declaratione certas pono propositiones quarum prima sit ista: mutua duarum naturarum concretiva denominatio non consurgit formaliter ex unione ipsarum per modum continuae quantitatis. Ista propositio apparet ex hoc quod in quolibet continuo sunt partes diversarum naturarum saltem secundum numerum, quae partes uniuntur ad invicem, et tamen concretiva denominatio| consurgens ab una parte non dicitur ab alia; quare propositum. Consequentia et maior patent. Et minor apparet ex hoc quoniam cum non sit maior ratio quare una pars suscipit concretivam denominationem unius quam alia, sequitur quod quaelibet recipit cuiuslibet concretivam denominationem, et per consequens quaelibet pars suscipiet concretivam denominationem totius, quod videtur falsum. Et consequentia patet, nam si generetur *a* pars, tunc arguo sic: si de *a* verificaretur quaelibet praedicatio essentialis cuiuslibet partis, de eodem verificaretur praedicatio essentialis totius. Sed conformis habitudo est praedicationum abstractivarum et concretivarum respectu illorum de quibus dicuntur. Ergo conformiter si de *a* parte dicitur quaelibet concretiva denominatio cuiuslibet partis alicuius totius, sequitur quod de eadem parte dicitur concretiva denominatio totius, quod videtur falsum, quia pars sive in concreto sive in abstracto non suscipit praedicationem totius; quare propositum.

<Propositio 2>

63. Secunda propositio est haec: duarum substantiarum concrete denominationes de se invicem praedicari non consurgunt formaliter ex unione contiguitatis. Ista propositio apparet, quia aliter elementa immediata de se invicem praedicarentur, quod falsum est, quia nec terreum est aquaeum nec e contra, et hoc prout sunt substantiales praedicationes consurgentes ab elementis simplicibus, non prout connotant aliquam mixtionem. Similiter esset concedendum, dato conclusionis opposito, quod ignis esset caelicus et caelum igneum, quod est falsum; quare propositum.

<Propositio 3>

64. Tertia propositio est haec et correlarie sequens ex praemissa quod mutua duarum naturarum concretiva denominatio non consurgit formaliter per modum locationis. Ista propositio apparet, aliter oporteret concedere quod aer esset homo et sic de similibus, quae non videntur vera. Et ex his apparet manifeste error dicentium per hoc hominem dici Deum et e contra, quia in eo Deus fuit per modum inhabitationis, ut fuerunt Ebyon et Cerintus et eorum discipuli, utpote Paulus Samositanus et Fortunatus(?) qui a patribus anathemacati sunt et condemnati fuerunt, quoniam modus unionis consurgens ex

inhabitatione et locatione non salvat propositiones fidei, videlicet quod Filius Dei exinanavit semetipsum formam servi suscipiens, sicut nec caelum dicitur pati per hoc quod locata in eo agunt et patiuntur;
715 quare propositum.

<Propositio 4>

65. Quarta propositio est haec: quod praefata denominatio concretiva non consurgit formaliter ex unione aggregativa. Ista propositio sequitur ex secunda, quia omnis aggregativa unio
720 praesupponit aggregatorum contiguitatem; quare propositum.

<Propositio 5>

66. Quinta propositio est quod huiusmodi denominatio non consurgit formaliter ex unione diversarum naturarum per modum insertionis, sicut dicitur propter imaginationem quorundam dicentium
725 illam unionem Filii Dei ad humanam naturam esse per modum insertionis, sicut cum ramus alicuius arboris insertur trunco alterius. Patet quod ista insertio non sufficit inferre talem denominationem mutua[m], quia tunc ficus esset oliva et sic de similibus, quae tamen
730 falsa sunt; quare propositum. C 230ra

<Propositio 6>

67. Sexta propositio est haec: praefata denominatio non consurgit formaliter ex unione aliquorum per modum aliquem mixtionis. Ista propositio apparet, quia vel mixta manent actu vel potentia vel virtute. Si primo modo, sequitur quod unum elementum
735 de alio concrete praedicaretur, videlicet quod ignis sit aereus et aer igneus et similiter aquaeus et terraeus quod videtur falsa. Si manent potentia vel virtute, sequitur quod a nullo illorum consurgeret denominatio talis cum huiusmodi denominationes consurgant a rerum naturis prout sunt in actu; quare propositum.

<Propositio 7>

68. Septima propositio est haec quod unitas similitudinis et proportionis non sufficit ut ex naturis differentibus consurgat ipsarum mutua denominatio concretiva. Ista propositio apparet, quia cum ista unio reperiatur generaliter, sive per modum univocationis sive per
745 modum analogiae, in singulis entibus, sequeretur quod quodlibet esset quodlibet concrete, quod falsum est. Sic enim homo esset asinus et sic de similibus; quare propositum.

728 oliva] quod tamen falsum est *add. sed del. C*

719 ex secunda] Cf. supra n. 63.

<Propositio 8>

69. Octava propositio est haec: sola informativa unio non sufficit ad hoc quod talis denominatio mutua ex variis rerum naturis consurgat. Ista propositio apparet ex hoc quoniam si ista esset sufficiens, sequitur quod haec esset vera anima intellectiva est corporea, et per consequens quanta; similiter quod esset materialis et sic de similibus, quae tamen praedicationes a nullo communiter conceduntur. Et tamen inter animam intellectivam et suam materiam est unio informativa seu per modum formae et materiae quod pro eodem habeo. Similiter sequeretur quod natura etiam accidentaliter esset substantialis vel quod accidentale esset substantiale, nam accidens et substantia habent unionem per modum formae et materiae. Quae praedicationes nedum a philosophis sed nec a theologis conceduntur; quare propositum.

<Propositio 9>

70. Nona propositio est haec: illapsus deitatis in natura humana non est communicationis idiomatum antecedens formaliter causale. Ista conclusio apparet quoniam illapsus divinitatis est tribus personis communis cum sit quaedam communicabilitas, et per consequens communicationes consurgentes ita essent Patri et Spiritui Sancto communes sicut et Filio, quod fides non admittet; quare propositum. Similiter, deitas beatis illabitur in beatifico statu, et tamen ex hoc illapsa non consurgit quod Petrus beatus sit Deus vel e contra. Et per consequens apparet quod talis illapsus non est sufficiens medium inferendi talem mutuam idiomatum communicationem, quod est propositum. Et ex hac conclusione sequitur quod unio per modum vitaliter immutantis non est formalis ratio ex qua consurgit idiomatum mutua communicatio. Patet, quia illapsus divinae essentiae in animabus beatis se habet per modum vitaliter immutantis; quare propositum.

<Propositio 10>

C 230rb 71. Decima propositio est haec: ex nulla unione aliquarum naturarum| ad invicem consurgit quod quaelibet denominatio concretiva unius naturae dicatur de alia natura et e contra. Volo dicere quod non ex hoc quod albedo unitur parieti, oportet quod indifferenter denominatio consurgens de pariete dicatur de albedine, licet quandoque sit verum e contra de aliqua denominatione. Istam conclusionem pono contra imaginationem magistri Ioannis de Ripa qui oppositum imaginatur. Unde imaginatur quod ex unione deitatis ad

776 se habet] *iter. sed del. C*

humanitatem vere humanitas dicitur Deus et e contra deitas dicitur homo.

790 **72.** Contra cuius imaginationem et pro conclusione mea arguo
 sic: si fundamentum imaginationis esset verum, sequeretur quod
 persona esset assumpta a Verbo, consequens est falsum et contra
 imaginationem doctorum communiter; quare propositum. Consequens
 probatur quoniam sequitur 'humanitas est Deus, ergo humanitas est
 persona', et tunc ultra 'haec humanitas est persona, haec humanitas est
 795 a Filio Dei assumpta, ergo persona est a Filio Dei assumpta' quod non
 videtur verum. Similiter sequitur quod creatura est Deus sine
 quacumque distinctione, quia sequitur 'haec humanitas est Deus, ergo
 creatura est Deus'. Similiter sequitur per illud fundamentum quod
 'infinita sunt quorum quodlibet est Deus', quod tamen non videtur
 800 verum. Et consequentia patet, quia infinitae partes humanitatis sunt
 unitae divinitati. Si ergo talis unio esset sufficiens medium inferendi
 unitorum mutuam communicationem, sequitur quod quaelibet pars
 humanitatis esset Deus et per consequens cum infinitae sint ipsius
 partes, sequitur quod infinita essent quorum quodlibet esset Deus quod
 805 tamen non videtur verum. Similiter sequitur quod Deus incepit esse
 quia haec humanitas incepit esse, haec humanitas est Deus, ergo
 incipit esse. Similiter sequitur quod Deus est contingens et potens non
 esse per similem deductionem, quae tamen propositiones non sunt
 bene sonantes. Quare videtur quod unio inter divinam et humanam
 810 naturas non est medium sufficiens talem communicationem
 idiomatum mutuam inferendi, nec a fortiori aliqua alia unio; quare
 propositum.

<Propositio 11>

73. Undecima propositio est haec: ex unione aliquorum per
 815 modum sustentificantis et sustentificati denominationes consurgentes,
 licet non verificentur de naturis universaliter et indifferenter;
 verificantur tamen de supposito alterius naturae dependentiam
 terminante. Volo dicere quod captis duobus entibus quorum unum
 subsistit subsistentia alterius ita quod ibi sit ratio sustentificantis et
 820 sustentificati quod licet suppositum virtute talis unionis suscipiat
 concretivam denominationem utriusque naturae, non tamen ipsae
 naturae suscipiunt denominationes huiusmodi indistinctae. Ista
 conclusio sic intellecta quoad secundam partem, apparet <per>
 praecedentem conclusionem, et quoad secundam apparet in omnibus|
 825 illis ubi est ratio talis. Nam quod humanitas et albedo simul uniuntur,

C 230va

789 cuius] conclusionem *add. sed del. C*

824 praecedentem conclusionem] Cf. supra n. 71-72.

et albedo subsistit subsistentia humanitatis, ideo suppositum istas duas naturas continens vere dicitur homo et similiter albus, et ipsa humanitas consequenter vere dicitur alba pro eo quod realiter idem est suae subsistentiae. Et ita apparet generaliter, etiam de toto respectu partis, nam pes non habet in homine subsistentiam propriam, sed subsistit subsistentia hominis, ideo vere dicitur homo pedatus, manuatus, et sic de quibuscumque denominationibus concretivis quae sumunt originem ab aliqua natura non habente propriam subsistentiam sed sustentificatur subsistentia aliena; et ita per consequens habetur propositum.

<Propositio 12>

74. Ex qua sequitur duodecima propositio quae est haec: diversarum naturarum concretivas denominationes dici de aliquo consurgit formaliter ex ratione unionis sustentificantis et sustentificati. Ista manifeste apparet ex probatione praecedentis conclusionis ex quibus manifeste apparet quod cum ex unione deitatis cum humanitate vere consurgat concreta denominatio quod ‘Deus est homo’ et ‘homo est Deus’, quod haec unio formaliter non est per modum concretivae quantitatis nec per modum contiguitatis nec locabilitatis nec aggregationis nec est formaliter per modum insertionis, licet in aliquo sit ibi similitudo licet non omnimoda, nec per modum mixtionis, nec etiam per modum similitudinis et proportionis, nec per modum informationis, nec etiam per modum illapsus seu vitalis imitationis. Sed, ut praedictum est ipsam unionem <fit per> ordinem idiomatum communicatio. Possumus ad praesens appellare unionem dependentiam alicuius naturae per modum subsistentiae terminatam.

<Propositio 13>

75. Ex qua ulterius sequitur propositio decima tertia quod unio humanitatis(?) sive terminatio non dicit formaliter denominationem perfectionis simpliciter. Patet, quia tunc ita vere competeret Patri et Spiritui Sancto sicut et Filio, cum quaelibet denominatio perfectionis simpliciter de qualibet personarum aequaliter praedicatur. Et ex hoc sequitur ulterius quod ista unio non est per modum activam, ut imaginari videtur magister Ioannes quod est per modum formae subducta in perfectione formae; sic enim esset per modum activum, et ita paterna essentia esset id quo primo et immediate Filius diceretur incarnatus, quod non est verum ut superius fuit dictum. Sic enim quaelibet personarum esset incarnata quod non videtur verum, quia

849 fit per] *illegibilis causa reproductionis* C 861 essentia] *mg. C*

840 praecedentis conclusionis] Cf. supra n. 73.

actuatio ista non potest intelligi nisi per modum illapsus vel
865 informationis quorum quodlibet in proposito non habet locum.

76. Ex quibus manifesta apparet error in materia ista errantium,
ut Appollinarus Theodori Mosuestari Abbatis Maccarius et Euticetis
Constantinopolitani episcopi, quorum aliqui fuerunt imaginati istam
870 incarnationis unionem per modum inhabitationis, aliqui per modum
similitudinis et proportionis, aliqui per modum informationis, et aliqui
per modum conversionis. Et hi in rei veritate non salvabant quod Deus
est homo et homo Deus. Et ideo, quia erraverunt ab utero et falsa
locuti sunt, a sanctis patribus fuerunt non immerito condemnati,
quidam in Nicea synodo, quidam in Constantinopolitana, quidam in
875 Ephesina et quidam in synodo Calcedonensi, in quibus sancti patres
fuerunt instinctu Spiritus Sancti congregati.

C 230vb

<Argumenta contra positionem auctoris>

77. Sed contra aliqua praedictorum arguitur sic: non est maioris
imperfectio quod denominatio concretiva humanitatis dicatur de
880 deitate quam e contra. Nam ex hoc quod 'deitas est homo' non
denotatur maior perfectio quam si dicatur 'humanitas est Deus'. Ergo
quam ex unione ista conceditur quod 'deitas est homo' tam versa vice
debet concedi quod 'humanitas est Deus'; quare propositum.

78. Praeterea, communicatio idiomatum vel attenditur penes
885 naturas, vel non. Si sic, habetur propositum. Si non, ergo sequitur
quod non plus ex tali unione est mutua communicatio quam sit ex
unione formae et materiae. Nam ibi constitutum ex his suscipit
denominationem concretivam consurgentem ex suis partibus, sicut
apparet quod de Sorte verum est dicere quod 'Sortes est corporeus et
890 intellectivus', ubi una denominatio consurgit ex parte materiae et alia
ex parte formae, quare si ita esset in proposito non apparet distinctio
inter istam unionem et aliam quoad idiomatis communicationem. Sed
hoc est falsum, ergo oportet aliam rationem assignare.

79. Praeterea, non stat formam uniri alicui subiecto formabili et
895 ipsam sub subiecto formabili non communicare suam
denominationem concretivam. Cum igitur divina essentia perfectius
uniatur quam quaecumque forma creata suae materiae, sequitur quod
quam ex unione formae creatae ad suam materiam consurgit
denominatio concretiva quod ipsa materia denominatur talis, tam ex
900 unione deitatis ad humanitatem consurget concretiva denominatio
quod ipsa humanitas vere dicetur Deus quod est positionis oppositum.

<Responsio Petri ad haec argumenta>

80. Ad istas rationes per ordinem respondeo. Ad primam cuius radix in hoc consistit quod non est maioris imperfectionis quod denominatio concretiva consurgens a creatura dicatur de Deo quam quod denominatio concretiva consurgens a Deo dicatur de creatura. Sed unum conceditur, ergo et aliud concedendum videtur. Vel cur tam varie? Hic dicitur quod causa varietatis existit, quoniam subsistentia quae utriusque naturae suscipit denominationem concretivam est realiter divinitas et nullo modo humanitas. Ideo de natura divina vere dicitur quod est homo, non autem quod ‘humanitas est Deus’. Unde si per possibile vel impossibile divinitas subsisteret subsistentia quae realiter esset humanitas| tunc vere diceretur ‘humanitas est Deus’ propter identitatem realem inter naturam humanam et subsistentiam propriam. Unde si per imaginationem duae naturae unirentur quarum quaelibet esset subsistentia propria, tunc denominationes concretivae a naturis consurgentes indifferenter de subsistentiis et naturis praedicarentur, quod in proposito non est verum.

C 231ra

81. Ad secundam rationem effectualiter inquaerentem penes quid attenditur idiomatum communicatio: aut penes naturas unitas, aut penes aliquem modum reducibilem ad materiam et formam. Sed iste secundus modus non est sufficiens cum dicat compositionem, ergo primus. Et si nec primus, dicatur ergo quis est ille? Ad istud dicitur quod ex praemissis propositionibus satis potest apparere quis sit ille modus qui breviter explicatur quod natura humana primo et immediate unitur rationi suppositali verbi divini. Et ex sequela identitatis realis rationis suppositalis Verbi divini cum deitate, non existente humana natura propria et subsistentia subsistens consurgit praedicta idiomatum communicatio quod Verbum divinum est homo et divinitas est homo et homo est Deus. Dicitur autem mutua, non quod de naturis utraque dicatur denominatio, sed quia concretive denominationes tam deitatis quam humanitatis de se invicem mutuo praedicantur. Nam verum est dicere quod ‘homo est Deus’, et ‘Deus est homo’.

82. Et isto modo debet intelligi dictum Apostoli Ad Phillipenses 2: *donavit illi nomen quod est super omne nomen*. Certum est quod ex tempore non donavit divino supposito quod esset Deus, cum Verbum sit aeternaliter Deus. Nec humanae naturae cum declaratum est quod haec denominatio non sibi convenit quod sit Deus. Sed intelligitur modo praedicto, videlicet quod donavit ut homo esset Deus et Deus esset homo quod hoc nomen Deus-homo est super omne nomen, supple nomen primo et principaliter puram significans creaturam.

903 Ad primam] Cf. supra n. 77.
donavit...nomen²] Phil. 2, 9.

919 Ad secundam] Cf. supra n. 78.

935

83. Et si DICATUR Apostolus dicit *donavit illi*, quid demonstratur per li illi? DICO breviter quod demonstratur divinum suppositum cui donatum est ex tempore quod sit homo Deus, non autem quod sit
945 Deus. Et hoc declarat Apostolus cum introduxit hoc nomen Iesus dicens ut *in nomine Iesu omne genu flectatur*. Constat autem quod in hoc nomine Iesus intelligitur hoc nomen Deus homo. Nam ista tria nomina Christus, Iesus, Deus-homo de solo Verbo divino praedicantur.

950 84. Ad tertiam rationem cuius radix in hoc consistit quod perfectior est unio deitatis ad humanitatem quam formae ad materiam et forma communicat denominationem suam concretivam suae materiae, ergo a fortiori in proposito, dicitur quod dato quod deitatis ad humanitatem sit perfectior unio quam formae creatae ad materiam,
955 non tamen sequitur propositum, quia ut fiat talis denominatio non requiritur tanta vel tanta unio, sed talis vel talis denominatio. Ergo causat 'talitas' quod vera perfectionis quantitas non admittit.]

C 231rb

<Declarantur octo dubia.>

85. Viso de possibilitate incarnationis et radice unde idiomatum
960 communicatio sumit ortum per quam catholicae veritatis ostenditur professio, nunc tertio pro complemento istius articuli restat plura dubia declarare quae sunt ad praesens octo. Quorum primum est si creatum suppositum possit naturam suppositabilem sustentare. Secundum si tria divina supposita possint eandem naturam numero
965 suppositare simul. Tertium est si unum divinum suppositum possit naturas diversas differentes numero vel specie sustentare. Quartum si stat aliquam perfectionalem proprietatem alicuius naturae creatae terminare dependentiam sine essentia vel e contra. Quintum est si sit possibile Verbum aliquam naturam assumere personalitate propria
970 personatam. Sextum est si quaelibet natura infra latitudinem entis contenta sit a Verbo assumptibilis indistincte. Septimum est si Verbum potuerit assumere naturam aliquam peccatricem. Octavum et ultimum est si stet aliquam intellectualem naturam a Verbo vel aliqua persona assumi ipsam unionem huiusmodi penitus ignorante.

975 **<Dubium 1: Utrum creatum suppositum possit naturam suppositabilem sustentare>**

86. Pro declaratione igitur primi dubii quo quaeritur si creatum suppositum possit naturam suppositabilem sustentare, praemitto unam

956 denominatio] denominationem(?) C 968 Quintum] quinta(?) C

946 in¹...flectatur] Phil. 2, 10. 950 Ad tertiam] Cf. supra n. 79. 961 istius articuli] Cf. supra n. 58.

distinctionem, et consequenter iuxta membra distinctionis
 respondebitur ad quaesitum. Distinctio igitur est ista quod 980
 sustentificatio potest sumi dupliciter: uno modo effective, alio modo
 terminative. Primo modo dicimus quod tota Trinitas sustentificat
 naturam a Verbo assumptam; sed secundo modo solum Verbum
 dicitur humanam naturam sustentificare.

<Conclusio 1> 985

87. Ad propositum igitur dico duas propositiones. Quarum prima
 est haec: nullum creatum suppositum potest effective producere
 unionem sui ad aliquam naturam quae foret persona si naturae
 propriae relinqueretur. Ista conclusio sic probatur: nihil cuius
 productio existit creatio potest ab aliquo citra Deum propria virtute 990
 produci; sed quaelibet talis unio est huiusmodi; ergo propositum.
 Consequentia et maior patent. Et minor declaratur, quoniam quam
 naturalitatem repugnat uni supposito stante sua natura posse non esse
 suppositum, tam naturaliter repugnat et aliquam esse unionem cuius
 tale suppositum sit fundamentum. Sed primum non cadit sub potentia 995
 alicuius naturalis agentis, ergo nec secundum. Minor ista patet, quia
 perseitas tertii modi consequitur naturaliter formam rei cuius est
 perseitas, et per consequens per agens naturale non impedibilis,
 quoniam magis est consequens ad asinum(?) perseitas tertii modi
 quam sit calor consequens ipsum ignem; sed nullum est agens naturale 1000
 quod sua virtute posset ab igne removeere totum suum calorem, ut satis
 docet physica disciplina; ergo nec facere quod illud quod est
 suppositum ex suae naturae condicione| sit postmodum non
 suppositum, quod est intentum.

C 231va

88. Praeterea, nulla potentia passiva est ad aliquem actum 1005
 educibilis nisi per aliquam potentiam activam correspondentem tali
 passivae; sed in natura creata quae est suppositum est potentia
 obiectivalis ad sustentificari per aliud suppositum; ergo ista non est
 educibilis nisi per potentiam activam correspondentem sibi.
 Consequentia ista patet, et maior ex hoc quoniam omnis potentia 1010
 activa correspondet passivae, et non quaelibet sed determinata, sicut
 naturaliter ex femina non generatur leo sed homo, et sic de aliis; et
 minor est theologorum communiter; quare propositum.

89. Et tunc ultra, cum igitur nulla potentia naturaliter activa
 possit attingere potentiam passivam obiectivalem in creatura, quia hoc 1015
 est respectu solius Dei, sequitur quod agens naturale non habet unde
 possit propria virtute efficere unionem sui ad alteram naturam quae
 foret persona si vere proprie relinquatur.

988 foret] fore *sed corr. sup. lin. a. m. C*

1020 **90.** Praeterea, si agens naturale posset propria virtute unionem
 sequitur quod posset efficere quamlibet similem unionem. Consequens
 est falsum, ergo et antecedens. Consequentia videtur nota. Sed
 consequentis falsitas ex hoc apparet, quia tunc Verbum posset
 incarnari per actionem alicuius agentis creati, cum posset causari
 1025 talem unionem in natura humana ab eo distincta per quam esset habilis
 uniri cuicumque potenti suam dependentiam terminare. Sed istud non
 videtur verum, quia tunc opus nostrum redemptionis potuisset fieri per
 actionem naturalis agentis; quare propositum.

<Conclusio 2>

1030 **91.** Secunda conclusio est haec: nullam includit repugnantiam
 unum suppositum creatum alicuius naturae creatae suppositabilis
 dependentiam terminare. Ista conclusio sic probatur quod quaelibet
 condicio creaturam non ponit extra creationis limites est ipsi creaturae
 per Dei omnipotentiam absolute possibilis; sed angelum sustentificare
 1035 naturam humanam seu ipsius dependentiam terminare est condicio
 quae angelum non potest extra creationis limites; ergo hoc est ei per
 Dei potentiam absolute possibile. Consequentia et maior patent.
 Declaro minorem quoniam ex hoc angelus non rederetur naturaliter
 perfectior quam sit modo, nec etiam natura assumpta ab ipso, nec ex
 1040 huiusmodi unione consurgeret aliqua praedicatio impossibilis, cum
 non sit haec praedicatio magis iudicanda impossibilis homo et angelus
 quam sit ista Deus est homo. Sed haec secunda nullatenus a catholicis
 reputatur impossibilis, immo vera; ergo nec prima. Et per consequens
 non videtur repugnare quare angelus non posset naturae humanae
 1045 dependentiam terminare, et hoc de Dei potentia absoluta; quare
 propositum.

92. Praeterea, si esset aliqua impossibilitas] in proposito, quaero
 unde haberet ortum? Aut ex parte naturae assumendae, aut ex parte
 naturae assumptis, aut ex parte agentis non potentis istam unionem
 1050 inter naturas huiusmodi causare. Sed primum non impedit, quia tunc
 aequae esset repugnantia quod talis natura assumeretur ab aliqua
 persona divina sicut ab aliqua creatura, quod tamen falsum est, cum
 quaelibet sit in potentia obiectivali ad talem assumptionem, ut ad
 praesens suppono. Nec etiam ex parte naturae assumptis videtur
 1055 impossibilitas, cum in essentialiter ordinatis superius continet
 virtualiter et eminenter omnem perfectionem inferioris, et per
 consequens, quantum est ex parte sua, ita posset perfecte suppositare
 talem naturam sicut facit suppositum proprium eiusdem naturae. Nec

C 231vb

1036 potest] ponit(?) C

tertium impedit, quia talis unio, ut prius deductum est, non indicat aliquam impossibilitatem, et per consequens cadit formaliter sub Dei omnipotentia. Et ita videtur quod omnino sine repugnantia talis condicio est possibilis creaturae. 1060

93. Praeterea, maior est convenientia inter naturam humanam et rationem suppositalem angelicam quam sit inter humanam naturam et rationem suppositalem divinam. Ergo quam unio cuius fundamentum est humanitas in natura ab assumpta sine repugnantia pro termino respicit rationem suppositalem divinam, tam sine repugnantia potest respicere quamlibet rationem sibi proportionabiliorem in ratione termini. Confirmatur ista consequentia: si *a* relatio ex propria ratione est indifferens ad *b* vel ad *c* tamquam ad duos terminos cuius fundamentum sit *d*, quanto est maior convenientia inter fundamentum talis relationis et termini dandum, tanto minor videtur repugnantia in tali relatione. Cum igitur inter divinam rationem suppositalem et creatam sit maior differentia, sequitur quod quam Deus potest primam facere, tam et secundam. Unde et Philosophus potius iudicaret istam impossibilem ‘Deus est homo’ quam istam ‘angelus est homo’. Et igitur non videtur quare hoc sit impossibile Dei potentiae absolutae. 1065 1070 1075

<Argumenta contra conclusionem secundam>

94. Sed contra istam conclusionem secundam pro ipsius declaratione maiori arguo aliquibus mediis sumptis ex radicibus quorundam doctorum oppositum opinantium in materia ista, et singulariter magistri Ioannes Warae. Et arguo primo sic: nihil potest supplere vicem alterius nisi contineat illud formaliter vel perfecte virtualiter; sed nullum suppositum creatum continet aliud suppositum creatum formaliter vel perfecte virtualiter; ergo nullum suppositum creatum potest alterius vicem supplere. Consequentia et maior patent. Et minor probatur, quoniam quodlibet suppositum creatum est limitatum; sed limitationem repugnat quamquam sit in gradu superiori continere perfecte virtualiter aliud inferius; ergo propositum. Probatur minor, quoniam homini ratione sui limitationis, quamquam sit perfectior asino, repugnat producere asinum, et per consequens non videtur quod ipsum perfecte contineat virtualiter propter sui limitationem| intrinsecam, et ita generaliter apparet quod unum suppositum creatum non continet aliud perfecte virtualiter; quare propositum. 1080 1085 1090 1095

C 232ra

95. Praeterea, nulla condicio quam de necessitate consequitur illapsus naturae ad naturam est possibilis alicui Creatori; sed terminare dependentiam alicuius naturae personalibilis est condicio

1069 ista consequentia] *inv. sed corr. signis transp. C*

quam de necessitate consequitur illapsus naturae ad naturam; ergo
 1100 propositum. Consequentia et maior patent. Et minor declaratur,
 quoniam unio humanae naturae ad Verbum est perfectior unio quae
 potest cogitari post illam unionem trium personarum, secundum
 beatum Bernardum in *De consideratione ad Eugenium* libro V; sed
 haec unio est eiusdem rationis cum quacumque quae, si esset, existeret
 1105 per modum sustentificantis et sustentificati; ergo quaelibet talis est
 maxima. Cum igitur quaelibet unio, qua Deus unitur creaturae, sit unio
 per illapsum, sequitur quod inter omnes uniones per illapsum, ista est
 maxima. Si ergo creatura non potest illabi creaturae quae est minor
 unio, sequitur quod a fortiori nec alterius naturae dependentiam poterit
 1110 terminare. Ut sic possit ratio confirmari: si *a* propter sui perfectionem
 non potest correspondere *b*, *a* fortior illapsum sit minor quam sit unio
 hypostatica, sequitur quod si unio per illapsum non potest creaturae
 correspondere, quod a fortiori nec unio hypostatica cum sit
 perfectionaliter maior; quare propositum. Et quod creatura non possit
 1115 illabi creaturae apparet per doctores communiter qui hoc soli Deo
 attribunt; quare propositum.

96. Praeterea, quaecumque sunt ad invicem unibilia, unum est in
 potentia ad aliud; sed nullum suppositum creatum est in potentia ad
 aliud suppositum; ergo propositum. Consequentia est necessaria, et
 1120 maior apparet in omni unione creaturae, et similiter in unione Verbi
 ubi humanitas est in potentia obiectivali respectu Dei. Sed minor
 probatur, quoniam signatis duobus suppositis creatis, utpote in angelo
 et homine, constat quod homo non est in potentia naturali ut
 sustentificetur ab angelo, quia suae naturae relictum semper tendit in
 1125 proprium suppositum, nec est in potentia obiectivali quia creatura per
 illam potentiam tantummodo respicit Deum, et per consequens omnis
 potentialitas in creatura et haec passiva, vel est naturalis, vel
 obiectivalis, et per nullam istarum una natura quae est suppositum
 respicit aliam. Sequitur quod impossibile est aliquod creatum
 1130 suppositum alterius creati suppositi dependentiam terminare; quod est
 propositum.

<Responsio ad argumenta supra dicta. Propositio 1>

97. Ad istas rationes respondeo. Ad primam cuius virtus in hoc
 consistit quod unum suppositum creatum non potest vices alterius
 1135 suppositi supplere propter suam limitationem, et ita est de quolibet
 supposito creato; quare propositum. Hic dico duas propositiones.
 Prima est quod terminare dependentiam alicuius naturae formaliter

1103 beatum Bernardum] BERNARDI CLARAVALLENSIS, *De consideratione* ??? **1133** Ad
 primam] Cf. supra n. 94.

non cadit sub limitibus principii productivi. Haec propositio patet,
 quia ratio principii productivi est tribus personis communis, et ista
 C 232rb termiantio] secundum fidem non est; quare propositum. 1140

<Propositio 2>

98. Secunda propositio est quod sic terminare non dicit
 formaliter aliquam denominationem perfectionis simpliciter. Pater per
 similem rationem, quia sic congrueret Patri et Spiritui Sancto, quod
 non est verum. Ex qua propositione sequitur quod talis terminatio non
 1145 includit nec requirit formaliter infinitatem. Patet etiam quia
 subsistentia Verbi, ut alias dictum est, non est formaliter infinita.

99. Ex his propositionibus apparet responsio ad argumentum
 cum dicitur quod limitationi repugnat ista terminatio. Apparet quod
 non est verum, quia indifferens est talis terminatio ad finitum vel
 1150 infinitum. Et cum probatur quod sic quod homo non potest supplere
 causalitatem agentis inferioris, apparet quod illud exemplum non est
 ad propositum, quia ibi assumitur de causalitate effectiva ex virtute
 propria. Et sic etiam dico quod virtute propria non potest efficere
 istam unionem aliquod agens naturale, ut dicit prima conclusio. Sed
 1155 quin posset terminare istam unionem nisi Deus talem faceret, nullam
 inspicio repugnantiam, nec argumentum hoc probat; quare
 propositum.

100. Ad secundam rationem cuius virtus consistit in illapsu quod
 ille non potest creaturae competere, ergo a fortiori nec unio, cum illa
 1160 sit perfectior inter omnes uniones post unionem illam ineffabilem
 beatissimae Trinitatis. Hic primo dico de illapsu quod consurgit vel
 consurgere potest ex parte Dei ex triplici ratione, videlicet ex ratione
 causae finalis, vel ex ratione causae exemplaris, vel ex ratione
 1165 efficientis et est Dei quaedam Trinitas. Unde ex aliqua illarum
 rationum provenit Deum illabi rebus, vel etiam potest iste illapsus
 provenire ex ratione summae et infinitae simplicitatis ex qua
 consequitur immensitas(?) deitatis ad quamlibet creaturam, et hoc
 prout quaelibet praedictarum rationum induit rationem primitatis. Et
 sic illapsus isto modo soli Deo conveniret quia respicit primariam
 1170 causalitatem, et ex hoc apparet quod provenit ex ratione perfectionem
 simpliciter formaliter exprimente. Unio vero hypostatica, ut dictum est
 iam supra, formaliter non dicit perfectionem simpliciter. Et igitur
 sumendo illapsus sub ratione propria et similiter unionem
 hypostaticam, apparet manifeste quod illapsus formaliter perfectior est
 1175 unio hypostatica. Quod etiam ratione apparet, nam talis illapsus

1140 secundum] non *praem. sed del. C* 1156 quin] *mg. C*

1148 ad argumentum] Cf. supra n. 94. 1159 Ad secundam] Cf. supra n. 95.

personis competit per rationem essentialem et unio hypostatica non, cum non sit tribus communis; quare propositum. Et per hoc apparet quod cum dicitur quod unio hypostatica est perfectior tali illapsu, quod hoc non est verum.

1180 **101.** Et ad dictum beati Bernardi dico quod beatus Bernardus sumit talem unionem cum omnibus suis annexis, videlicet illapsu, beatitudine, et sic de aliis. Et sic absque dubio vocando totum illud aggregatum unionem hypostaticam perfectior talis unio est quam sit
1185 illapsus; sed per hoc nihil ad propositum. In minori quod omnes aliae uniones essent eiusdem rationis cum ista, apparet quod non est verum nisi ut praescinditur ratio unionis hypostaticae ab omnibus condicionibus iam praetactis; quare propositum.

C 232va

102. Ad tertiam rationem cuius virtus in hoc consistit quod ex
1190 quo unum suppositum creatum non est in potentia obiectivali respectu alterius nec etiam in potentia naturali, non videtur quomodo talia si sint unibilia cum unibilitas praesupponit potentialitatem saltem in altero extremorum. Hic dico quod esse in potentia respectu alterius potest intelligi dupliciter: uno modo quod per virtutem illius ad quod
1195 aliud est in potentia possit talis potentia ad actum educi; alio modo quod per virtutem alicuius agentis extrinseci, sicut verbi gratia lignum est in potentia ad formam ignis quae potentia potest ad actum educi per formam ignis; similiter lignum est in potentia ad nigredinem quae potentia naturaliter per nigredinem non potest ad actum educi quia, ut
1200 ad praesens suppono, forma nigredinis non est per transmutationem effectiva; potest tamen potentia ligni ad actum nigredinis educi per aliquod agens naturale.

103. Sic in proposito, esto quod potentia obiectivalis quae est in uno supposito non possit educi per actionem alicuius agentis naturalis,
1205 potest tamen illa potentia educi per agens infinitum, et hoc respectu alterius suppositi. Si ergo intelligat primo modo quod non est in potentia obiectivali concedo, sed tunc consequentia nihil valet. Si vero intelligat secundo modo, negatur antecedens, videlicet quod non sit in potentia obiectivali, quia sic una creatura est in potentia obiectivali ad
1210 aliam, quia Deus potest istam creaturam alteri unire, et sic illa terminabit dependentiam talis naturae; quare propositum.

<Duo dubia>

104. Sed oriuntur duo brevia dubia. Primum si una natura a pluribus creatis suppositis sustentari; secundum si una natura possit a
1215 supposito increato et creato simul sustentari.

<Ad dubium 1. Propositio 1>

1181 dictum...Bernardi] Cf. supra n. 95. 1189 Ad tertiam] Cf. supra n. 96.

105. Ad primum dico tres propositiones probabiliter. Prima est haec: eidem fundamento plures respectus extrinseci non repugnant. Volo dicere quod non apparet repugnantia quare unum ens non possit esse subiectum plurium respectuum extrinsecorum. Ista propositio apparet nedum theologice sed etiam physice constat ei quod quilibet effectus habet respectum ad suam causam, et si infinitas haberet causas, infiniti respectus essent in uno effectu tamquam in fundamento. Si ergo respectus intrinsecus advenientes non repugnant eidem fundamento, sequitur quod consimiliter non repugnabunt respectus extrinsecus advenientes eidem fundamento.

1220

1225

106. Praeterea, de facto Deus potest ponere unum corpus in diversis locis; sed constat quod locatum ex diversa loci approximatione habet alium respectum ad unum locum quam ad alium; ergo sequitur quod in tali casu in eodem locato sunt plures respectus extrinseci fundati et ita apparet quod nulla est repugnantia quare diversi respectus intrinseci non possunt in eodem subiecto fundamentaliter poni.

1230

<Propositio 2>

C 232vb **107.** Secunda propositio est quod unio| inter suppositum sustentificans et naturam sustentificatam est respectus extrinsecus adveniens. Ista propositio apparet, nam posito Deo sive Verbo et natura humana, non sequitur ipsa esse unita aliter quam primo fuit aliqua natura humana tam primo fuit Verbo unita. Et ita Verbum ante nativitatem Virginis fuisset incarnatum, quod falsum est. Similiter si esset respectus intrinsecus adveniens, sequeretur quod Verbum non posset dimittere naturam humanam sicut non potest facere quod creatura sit et non dependeat; sic non facere quod talis humanitas esset vel foret Verbo unita, quod tamen falsum est; quare propositio illa vera.

1235

1240

1245

<Propositio 3>

108. Tertia propositio est haec: non magis formaliter redditur perfecta natura in qua fundantur plures respectus extrinseci quam si sibi correspondeat unus solus. Ista propositio ex hoc apparet quoniam per nullum talem respectum natura huiusmodi egreditur limites propriae speciei; quare propositum. Similiter nihil extrinsecum variat in suo adventu rationem formalem alterius nisi forsitan corruptivae, quod in proposito non habet locum.

1250

109. Ex istis tribus propositionibus sequitur manifeste quod nullam includit repugnantiam unam naturam a pluribus creatis suppositis sustentificari, et hoc de Dei potentia absoluta. Probatur: nam si esset repugnantia, aut hoc esset quia talis natura fieret illimitatior et perfectior, aut quia non potest esse fundamentum

1255

1260 plurium unionum ad diversa supposita. Sed primum non impedit, ut
patet per tertiam propositionem. Nec secundum, quia cum unio talis sit
relatio extrinsecus adveniens, ut dicit secunda propositio, nec talium
relationum pluralitas repugnat eidem fundamento, ut dicit prima
propositio. Non videtur per consequens repugnantia quare hoc Deo
non sit possibile.

1265 **110.** Ex qua sequitur quod in creaturis haec est possibilis
'angelus est homo' et 'angelus est asinus', et consimiliter 'homo est
asinus' in casu quo natura asinina esset tam ab angelo quam ab
homine assumpta, et hoc de Dei potentia.

<Ad dubium 2>

1270 **111.** Ad secundum dubium respondeo breviter affirmative quod
non apparet repugnantia quare eadem natura non possit assumi a
supposito creato et increato simul, tum quia si duobus suppositis
creatis hoc non repugnat, a fortiori videtur quod non repugnet
supposito creato et increato, tum etiam propter rationem superius
1275 assignatam, quia diversi respectus extrinseci possunt fundari super
eadem natura; quare propositum. Similiter ex quo per secundam
conclusionem primi dubii, Deus potest facere quod unum suppositum
creatum sustentificet unam naturam a se distinctam faciat illud, nolo
quod Deus multiplicem illam naturam illabi ipsam propriae naturae
1280 relinquendo. Constat quod Verum potest illam naturam in illo loco
assumere cum nulla impossibilitas videatur. Quo facto eadem| natura C 233ra
est assumpta a supposito creato et increato; quare propositum.

<Dubium aliquod et responsio auctoris>

1285 **112.** Sed forsitan contra hoc DICITUR quod est impossibile, quia
tunc Deus et creatura essent unum, utputa unus asinus vel unus homo,
quod non videtur verum. Et consequentia patet, quia ex quo assumit
eandem naturam, utputa homo et angelus eandem humanitatem,
sequitur quod sunt unus homo.

1290 **113.** Hic DICO pro nunc breviter, quia in alio dubio ista
difficultas specialiter declarabitur, quod non sequitur, sicut si una
albedo poneretur in diversis subiectis, non propter hoc essent unum
album sed plura. Et ratio est, quia effectus formalis non solum
provenit a forma, sed etiam ex subiecto. Et ideo licet fit unitas ex parte
formae, tamen quia manet pluralitas ex parte subiectorum, ideo

1279 illabi] allibi(!) C

1260 per tertiam] Cf. supra n. 108. 1261 secunda propositio] Cf. supra n. 107. 1262
prima propositio] Cf. supra n. 105-106. 1270 Ad secundum] Cf. supra n. 104. 1276
secundam conclusionem] Cf. supra n. 107.

denominatio plurificatur. sic in proposito de natura unica respectu 1295
diversorum suppositorum, quamvis ex una parte sit unitas, tamen ex
alia parte est pluralitas. Sed de hoc inferius plenius dicitur.

<**Dubium 2 et responsio Petri. Propositio 1**>

114. Secundum dubium est istud: numquid tria divina supposita
possint eandem naturam numero simul suppositare? Pro cuius dubii 1300
declaratione tres pono propositiones. quarum prima est haec: nullam
includit repugnantiam aliquam naturam subsistere pluribus
subsistentiis ab invicem realiter distinctis. Ista propositio sic probatur,
quoniam divina essentia subsistit subsistentia Verbi et eadem subsistit
subsistentiis Patris et Spiritus Sancti, et una illarum subsistentiarum 1305
non est realiter alia; ergo iam de facto divina essentia subsistit pro
pluribus subsistentiis realiter ab invicem condistinctis, et per
consequens propositio vera. Consequentia est nota, et assumptum est
fidei cui nullum subest falsum vel impossibile; ergo propositum.

<**Propositio 2**>

1310

115. Secunda propositio est haec: subsistere pluribus
subsistentiis non est condicio formaliter infinita. Ista conclusio sic
probatur, quoniam quaelibet condicio formaliter infinita dicitur de
quolibet divino supposito; sed subsistere tribus subsistentiis non
dicitur de quolibet divino supposito, immo nec de aliquo; ergo 1315
subsistere tribus subsistentiis non est condicio formaliter infinita.
Consequentia patet et maior. Nam omnis ratio essentialis dicitur de
quolibet divino supposito; sed sola talis est formaliter infinita; ergo
propositum. Minor ista ex hoc apparet, aliter aliqua perfectio
simpliciter esset in uno supposito quae non esset in alio, quod non est 1320
verum. Et minor principalis patet ex se, quia nec Pater subsistit tribus
subsistentiis, nec Filius nec Spiritus Sanctus, cum nullus ipsorum sit
Trinitas; ergo propositum.

116. Praeterea, Deus potest unum accidens ponere in diversis
subiectis, quia non videtur maius impossibile unum accidens esse in 1325
diversis subiectis quam quod unum corpus sit in diversis locis. Et
secundum est possibile, immo verum, ut tenet fides de sacramento
altaris; ergo et primum. Et tunc isto posito, unum accidens subsistit
pluribus subsistentiis, et tamen non infinitum. Non ergo videtur quod
condicio huius quod est pluribus subsistentiis subsistere sit formaliter 1330
infinita; et per consequens propositio vera.

<**Propositio 3**>

C 233rb

1306 divina] subsistentia *add. sed del. C*

1335 **117.** Tertia propositio est haec: nullum videtur impossibile tria
 divina supposita sustentificare eandem naturam numero realiter
 limitatam. Ista conclusio quodammodo correlarie sequitur ex
 praemissis quae sic deducitur: si esset aliquod impossibile, aut hoc
 esset quia sic subsistere includit repugnantiam, aut quia talis condicio
 ponit creaturam extra terminos creationis. Sed primum non impedit,
 quia ut dicit prima conclusio, ista condicio non includit repugnantiam,
 1340 aliter divina essentia non subsisteret tribus subsistentiis, quod falsum
 est. Nec secundum impedit, quia per talem condicionem non propter
 hoc creatura redditur infinita; unde non videretur unde oriatur ista
 impossibilitas quod tria supposita non possint assumere eandem
 naturam; quare propositum.

1345 **118.** Praeterea, habentes opinionem de universalibus quod sint
 extra animam, utpote quod species specialissima sit quaedam natura
 communis quae sit in quolibet suo individuo ita quod individuum ultra
 talem naturam non addit nisi differentiam individualement nullam
 percipiunt contradictionem, aliter manifeste concederent
 1350 propositionem impossibilem quod ipsi negant. Ergo quam hoc videtur
 esse conceptibile sine repugnantiam tam a fortiori quod una natura
 numero et limitata a pluribus divinis suppositis sustentificetur; et per
 consequens propositum.

1355 **119.** Praeterea, eadem anima intellectiva est in qualibet parte
 corporis, et idem corpus in diversis locis secundum Dei potentiam
 absolutam sine aliqua impossibilitate. Sed non videtur hoc magis
 possibile quam quod una natura sit in diversis suppositis; ergo quam
 primum est possibile tam et secundum. Et confirmatur de accidente
 quod si esset in diversis subiectis subsisteret subsistentiis diversorum
 1360 subiectorum; quare et in proposito similiter.

120. Praeterea, si esset aliqua impossibilitas, aut haberet ortum
 formaliter ex parte divinae essentiae, aut ex parte proprietatum
 personalium, aut ex parte naturae. Sed primum non impedit, quia
 divina natura non resistit cum sit tribus personis communis, et ita non
 1365 plus impediret unum suppositum quam aliud. Nec est impossibilitas ex
 parte personarum, quia quod aliquid subsistit subsistentia Verbi, non
 repugnat quod subsistat subsistentia Patris, ut prius deductum est. Nec
 est repugnantia ex parte naturae creatae, quia illa est in potentia
 obiectivali ad quamlibet personam; quare propositum.

1370 **121.** Ex qua conclusione infero correlarie quod tribus suppositis
 non repugnat tam ratione proprietatum personalium quam etiam
 ratione divinae essentiae alicuius naturae creatae dependentiam
 terminare. Volo dicere quod sive divina essentia sit terminus

C 233va

1339 prima conclusio] Cf. supra n. 114.

immediatus talis dependentiae, sive quaelibet proprietas personalis, nulla videtur repugnantia quare tria divina supposita non possint assumere eandem naturam numero realiter limitatam; patet ex iam dictis. 1375

<Adducuntur rationes pro positione Duns Scoti>

122. Ex quo apparet quod, salva reverentia Doctoris Subtilis, positio sua in hac parte non videtur vera. Unde III *Sententiarum* distinctione 1 quaestione 2, respondendo ad istam quaestionem, sic distinguit: aut potest intelligi primus terminus istius unionis esse persona aut essentia subsistens tribus personis communis. Et secundum hoc dicit duas propositiones. Prima quod non est possibile primo modo; secunda propositio quod bene est possibile secundo modo, videlicet prout divina essentia est terminus immediatus illius unionis. Et ad probationem primae propositionis, quae videtur dictis meis contraria, adducit duas propositiones quarum ratione tenet conclusionem expressam. Arguit enim sententialiter sic primo: impossibile est duas esse causas totales respectu alicuius effectus, et hoc in eodem genere causae quia in diversis generibus nullum inconueniens videretur. Ista propositio sic probatur: nam signemus in genere causae efficientis *a* et *b* causas totales respectu *c* effectus. Tunc arguitur sic: *a* est causa totalis *c*, ergo posito *a* et circumscripto *b* non minus ponitur *c*, et per consequens *b* non est causa totalis *c*. Prima consequentia patet per descriptionem causae totalis communiter divulgatam. Et sicut de *a* respectu *b* arguitur, ita potest argui versa vice, et per consequens ex positione duarum causarum totalium sequitur nullam illarum esse causam totalem, et ergo impossibile est duas causas totales poni respectu alicuius effectus. Et tunc ultra: subsistere sive dependere subsistentia aliena, utputa subsistentia Verbi est eiusdem rationis sicut dependere subsistentia Patris. Si ergo ponatur quod eadem natura subsistat istis duabus subsistentiis, tunc dependet a duabus causis totalibus dependentia eiusdem rationis. Hoc autem est impossibile, ergo propositum. 1380 1385 1390 1395 1400 1405

123. Probatur assumptum, nam ex hoc quod Verbum terminat dependentiam huius naturae haec natura subsistit; ergo circumscripto quocumque alio, non minus subsisteret subsistentia aliena. Igitur si ex Patris subsistentia haberet etiam subsistere subsistentia aliena, sequitur quod respectu eiusdem effectus essent duae causae totales, quod videtur absurdum; quare propositum. 1410

1381 sic distinguit] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio in III Sent.*, d. 1, q. 2 (ed. Vives ???).

1415 **124.** Et confirmatur, nam sive Pater sustentificet sive Verbum, non minus talis natura dependet; ergo videtur quod repugnantia est quod talis natura a diversis suppositis assumatur propter repugnantiam inclusam.

1420 **125.** Praeterea, stante suppositione propria alicuius naturae, impossibile est Verbum vel aliquam personam illam naturam assumere, quia haec est impossibilis; haec natura est personalitate| C 233vb propria personata, et tamen est a Verbo assumpta. Cum igitur personalitas Verbi aequae vel perfectius suppleat sicut facit personalitas propria ipsius naturae, ergo quam impossibile est stante prima personalitate istam naturam assumi, tam impossibile est stante Verbi personalitate istam naturam ab aliquo alio divino supposito assumi.

1425 **126.** Et confirmatur, nam si quod minus est impedit ne aliquid fiat, a fortiori quod maius est magis impedit. Si ergo personalitas propria impedit ne natura, cuius est personalitas, assumatur, ergo a fortiori personalitas Verbi, quae aequae vel perfectius supplet, magis impedit ne ab aliquo alio supposito talis natura assumatur.

<Contra rationes Scoti>

1430 **127.** Ad istas rationes, quae sunt valde pulchrae, respondeo. Et primo ad primam cum dicitur quod impossibile est duas causas totales esse respectu eiusdem effectus, et hoc in eodem genere causae, transeat ista in nomine Domini. Et ad minorem cum dicitur quod ita esset in proposito si tria supposita assumerent eandem naturam, hoc
1435 nego. Ad probationem cum dicitur quod sive Pater sustentificaret sive Verbum, non minus talis natura dependeret, hic dico dupliciter: primo quod ex hoc quod natura humana assumitur ab aliquo divino supposito, non causatur in ea aliquod absolutum sed bene aliquid relativum, ipsa unio videlicet. Et tunc dico quod si duae personae
1440 assumerent, ex huiusmodi assumptione essent duae uniones, quarum nulla haberet duas personalitates pro terminis, sed una unam et alia aliam, et ita non essent duae causae totales respectu eiusdem effectus, quia nec duo termini respectu alicuius illarum unionum, et per quamlibet illarum diceetur talis humanitas formaliter dependens.
1445 Sed ex hoc non sequitur quod sint duae causae totales respectu alicuius effectus. Sicut verbi gratia, si duae qualitates essent in eodem subiecto, utputa albedo et rubedo, per quamlibet illarum subiectum illud haberet quod esset coloratum, quia sive ponatur albedo sive rubedo, non minus illud est coloratum. E tamen ex hoc non sequitur
1450 quod respectu eiusdem effectus sint duae causae totales, quia esse coloratum non dicit unum effectum tantum, sed dicit esse rubeum et

1431 ad primam] Cf. supra n. 122-123.

dicit esse album. Sic similiter in tali casu esse dependens non diceret unum effectum tantum sed duos, videlicet esse dependens ex subsistenti ingenita et esse dependens ex subsistentia genita quibus est hoc commune, videlicet esse dependens.

1455

128. Secundo posset dici quod subsistentia Verbi, quae est sua relativa proprietas, est alterius rationis a relativa proprietate Patris, quia paternitas et filiatio non sunt relationes eiusdem rationis, et ergo nec subsistentiae. Et ideo, licet in tali casu humana natura subsisteret, non tamen sic dependere diceret eandem dependentiam secundum rationem sed diversas secundum quod subsistentiae terminantes sunt diversarum rationum. Et sic adhuc non habetur quod sint duae causae totales respectu alicuius effectus; sed adhuc dato quod essent eiusdem rationis, non haberetur propositum,] sicut duae albedines sunt eiusdem rationis. Nec video impossibilitatem quare non possunt esse in eodem subiecto per Dei omnipotentiam, quo facto ex quacumque illarum haberetur formaliter quod subiectum est falsum. Sed certum est quod tunc esse album non diceret unum effectum particularem sed duos consurgentes ex rationibus individualibus duarum albedinum; et ita per omnia in proposito.

1460

1465

1470

129. Ad rationem secundam cuius fundamentum consistit in hoc quod stante personalitate talis naturae non stat ipsam assumi, ergo a fortiori nec stante personalitate Verbi poterit assumi. Hic dico quod non est simile, et ratio est quia ratio personalitatis proprie cum, ut alias dictum est, constat formaliter in negatione duplicis dependentiae. Ideo repugnantia est quod sit personalitate propria personata et sit unita sive assumpta, quia tunc esset unita et non-unita. Sed ex hoc quod sustentificatur a Verbo, non propter hoc ponitur in natura humana quod non uniatur et ideo magna est dissimilitudo. Et ideo cum hoc quod unitur Verbo potest etiam alteri uniri et ita duas relationes fundare respectu diversorum terminorum, quia non videtur aliquid inconueniens, ut dictum est in praecedenti lectione, idem absolutum diversos fundare respectus. Et sic apparet quid est ad alias rationes dicendum.

1475

1480

<Argumenta pro opinione Bonaventurae>

1485

130. Sed adhuc contra praemissam conclusionem arguitur per rationes domini Bonaventurae quibus tenet oppositum conclusionis meae. Arguitur primo sic: si tres personae possunt assumere eandem naturam, aut ergo in unitatem personae, aut in unitatem essentiae. Non primo modo, quia personae nullo modo conveniunt in persona cum

1490

1471 Ad...secundam] Cf. supra n. 125-126.

1487 domini Bonaventurae]

BONAVENTURAE, *In III Sent.*, d. 1, a.1, q. 2-3 (ed. Quaracchi, III, p. 12-16).

ratio personalis in ipsis sit ratio distinctiva. Nec in unitate essentiae, quia impossibile est Creatorem et creaturam convenire in una essentia. Ergo sequitur, cum non sit possibile quod talis natura assumatur nisi ad aliquam unitatem, quaelibet unitas vel est essentialis vel personalis, et nulla tali unitate possunt tria supposita eandem naturam assumere, quia impossibile est simpliciter tria supposita eandem sustentificare naturam.

1495 **131.** Praeterea, ex unione talis naturae ad humanam consurgit communicatio mutua idiomatum, et per consequens si tres uniunt sibi eandem naturam, natura assumpta, sive ut suis terminis utar, ille homo esset Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et per consequens per communicationem idiomatum Pater esset Filius quod videtur absurdum.

1500 **132.** Confirmatur, nam communicatio idiomatum nihil aliud videtur nisi quod denominationes concretivae unius vere dicantur de altera natura et similiter personae, ut sicut deitas dicitur homo, ita humanitas debeat dici Deus, et per consequens talis humanitas sive homo, ut ipsi dicunt, esset Pater et eadem esset Filius; igitur Filius esset Pater; sed hoc videtur impossibile ergo propositum.

1505 **133.** Praeterea, si tres personae possent eandem naturam assumere, aut ergo unica unione, aut pluribus. Non unica, quia talis non posset esse nisi in essentia; sed illa est impossibilis quia essentia non habet unde possit dare esse suppositale, cum sit formaliter incommunicabilis. Nec pluribus, quia tunc cum quaelibet talis unio sit formaliter incarnatio, sequitur quod essent tres incarnationes. Consequens est falsum, quia ab unitate carnis non potest incarnationis pluralitas provenire. Cum igitur ibi sit tantum una caro, ut supponitur, sequitur propositum.

1510 **134.** Praeterea, arguitur per alias rationes. Si tres personae assumerent eandem naturam, vel essent plures homines, vel unus homo. Non est dicendum quod unus, quia tunc tres personae essent una persona quod videtur impossibile. Sed quod sequitur probro: nam sequitur isti sunt unus homo ergo sunt una persona; arguitur enim ab inferiori ad superius affirmative. Nec etiam plures homines, quia tunc eadem ratione diceretur quod divina supposita essent plures dii, et consequentia probatur a simili. Vel a fortiori si una natura quae est finitae substantiae, ut existit in tribus suppositis, nata est plurificare suam formam quod sint tres homines, ergo a fortiori ex hoc quod divinitas est in tribus suppositis erunt tres dii. Sed hoc est falsum, ergo
1525
1530 et primum. Et per consequens cum per huiusmodi assumptionem nec

C 234rb

1496 quia] quod C 1508 igitur] si *add.* C

essent unus homo nec plures, sequitur quod impossibile est ipsa divina supposita eandem naturam assumere.

135. Praeterea, quaecumque aliqua potentia passiva per aliquem actum est totaliter exhausta, stante illo actu in tali potentia, non potest illa potentia esse sub alio actu. Verbi gratia, etiam in naturalibus constat quod potentia passiva sive materialis quae, secundum aliquos, est in corporibus caelestibus, numquam appetit esse sub alia forma pro eo quod latitudo talis potentialitatis est per suam formam totaliter exhausta, et ita currit in omnibus. Cum igitur potentia obiectivialis naturae humanae ad sustentificari sit totaliter exhausta per Verbi subsistentiam, sequitur quod stante subsistentia non est possibile ipsam humanam naturam ab alio divino supposito sustentificari. Consequentia patet. Probo minorem: nam Verbum tante sustentificat quante sustentificarent omnia divina supposita pariter et humana, cum non maior perfectio sit in omnibus subsistentiis simul quam in sola Verbi subsistentia. Nunc autem si omnes subsistentiae talem naturam sustentificarent ipsius potentiae obiectivialis quoad sustentificari esset exhausta; ergo et modo per Verbi subsistentiam ipsius naturae humanae potentia obiectivialis ad sustentificari totaliter est exhausta, quod est propositum.

136. Praeterea, si eadem natura posset a pluribus suppositis sustentificari, cum non sit maior ratio quod sustentificetur a duobus quam a tribus, et sic proculdubio sequitur quod talis natura posset ab infinitis suppositis sustentificari. Et consequentia patet per modum arguendi Philosophi, IV *Physicorum*, si unum corpus potest esse in duobus locis, eadem ratione et in infinitis. Sed consequentis falsitas sic probatur, quia hoc dato sequitur quod talis humanitas esset infinitae perfectionis. Quod probo: nam forma quae potest suum effectum formalem uni supposito communicare est aliquantae perfectionis. Et quae potest duobus suppositis, ceteris paribus, est maioris perfectionis et sic in infinitum. Et per consequens forma quae infinitis suppositis potest suum effectum formalem communicare est infinita. Si ergo natura humana una numero ponatur in infinitis suppositis, quodlibet ipsorum denominabit quod sit homo, et per consequens infinitis communicabit suam formalem denominationem; quare propositum.

<Contra rationes Bonaventurae>

1555 IV *Physicorum*] ARIST., *Physica*, IV, c. 1 et c. 5 (AL VII-1, 138 et 152; Δ, c. 1 et 5; 209a 7-8 et 212b 25-26): In eodem [loco] enim utique essent duo corpora... neque duo corpora in eodem loco.

1570 **137.** Ad istas rationes respondeo. Ad primam cuius radix in hoc
consistsit: si tria supposita assumerent eandem, vel ergo ad unitatem
perfectione, vel essentiae; Sed nullo istorum modorum; ergo
propositum.

1575 **138.** Hic posset dupliciter responderi. Primo quod assumerent ad
unitatem personae. Et cum dicitur quod non, quia nulla una
personalitas est tribus personis communis; ergo non assumerent ad
unitatem personae. Ista consequentia negaretur, et tamen antecedens
concederetur, et ratio est quia non oportet quod assumant ad unitatem
personae Filii, et sic de qualibet, sed sufficit quod ad unitatem
personalitatis propriae quaelibet assumeret. Et tamen qui vellet, posset
dicere quod assumerent ad unitatem personae; ad nullam tamen
1580 unitatem personae assumerent, ita quod virtute istius termini assumere
cum praecessione termini numeralis terminantis sequens staret
confuse tantum. Et cui non placet ista responsio, dicat secundo modo,
videlicet quod nec assumerent ad unitatem personae nec ad unitatem
essentiae, et tamen quaelibet illarum personarum assumeret ad
1585 unitatem personae, et ad nullam unitatem personae assumeret
quaelibet illarum personarum. Et hoc apparet manifeste quare ille
terminus stat confuse tantum. Sicut demonstratis tribus hominibus si
quaeratur: vel isti tres homines sunt animal rationale, vel irrationale,
certum est quod neutra pars est danda; et tamen correlatum est quod
1590 quilibet illorum trium est animal rationale, nullum tamen est quilibet
illorum trium.

139. Unde ulterius advertendum est pro materia argumenti quod
cum dicitur assumi ad unitatem personae vel essentiae, non est
intelligendum quod ex persona ut ipsa humanitate fiat unum, vel ex
1595 essentia et humanitate. Sic enim deitas esset pars Christi, quod nefas
est hoc sentire. Est ibi sensus quod persona terminet unionem
fundamentaliter existentem in humanitate. Et sic apparet quod tam
personalis ratio quam etiam essentialis possunt sumere ad unitatem,
quia possunt talium naturarum dependentias terminare.

1600 **140.** Et ideo cum dicitur quod non possunt assumere ad unitatem
essentiae quia impossibile est Creatorem et creaturam communicare in
una essentia, videtur quod intelligat quod Creator et creatura sint una
essentia, et hoc absque dubio impossibile est. Sed quoniam divina
essentia posset immediate terminare dependentiam alicuius naturae,
1605 hoc non videtur impossibile; quare propositum.

1579 tamen] *mg.* C 1604 alicuius] facti *add. sed del.* C

1568 Ad primam] Cf. supra n. 130. 1593 cum dicitur] Cf. supra n. 130.

141. Ad secundam rationem cum dicitur quod si tres assumerent eandem naturam quod tunc virtute communicationis idiomatum Pater esset Filius, quod non videtur possibile. Hic dico pro materia
 C 234vb argumenti] quod nomine communicationis idiomatum, intelligitur
 idioma Graece, Latine dicitur proprietas. Communicatio ergo 1610
 idiomatum esset communicatio proprietatum, ita quod proprietates
 unius naturae in concreto dicantur de altera natura et e contra,
 indifferenter et indistincte. Et iste modus videtur fuisse antiquorum
 doctorum qui communiter dicunt quod homo assumptus a Verbo est
 Filius Dei. Isti consequenter dicerent quod ‘humanitas est Deus’, et ita 1615
 si eadem humanitas a tribus assumeretur, unus homo esset tres
 personae et quaelibet illarum, et consequenter negarent istum modum
 arguendi ‘hic homo – demonstrata humanitate, quia apud eos li homo
 non dicit formaliter suppositum cum fit denominatio consurgens
 formaliter a natura et non a supposito – est Pater, hic homo est Filius, 1620
 ergo Pater est Filius’; sicut non sequitur ‘haec essentia est Pater, haec
 essentia est Filius, ergo Pater est Filius’.

142. Et sic, secundum istam viam, adhuc argumentum non
 haberet conclusionem quam intendit inducere. Sed iste modus 1625
 intelligendi communicationem idiomatum, ut alias dixi, haberet
 multas propositiones non bene sonantes concedere. Et ideo dico quod
 communicatio idiomatum intelligitur quando proprietates cuiuslibet
 naturae dicuntur concrete de supposito in quo concrete tales
 naturae uniuntur, et etiam de natura in cuius identitatem transit
 subsistentia personalis. Nunc autem, quia ratio personalis Verbi transit 1630
 in identitatem divinae essentiae, ideo bene dicitur ‘deitas est homo’ et
 ‘Verbum est homo’, licet e contra non dicatur videlicet ‘humanitas est
 Deus’ vel ‘humanitas est Verbum’. Sicut apparet in subiecto et
 accidente, nam albedo bene denominat quod ‘homo est albus’, sed
 nusquam dicitur quod ‘albedo sit homo’; sic etiam in proposito. Et 1635
 secundum istam viam leve est solvere rationem. Nam cum dicitur
 quod ‘hic homo est Pater’, quaero quid demonstrat per li hic? Si
 Patrem, vera est propositio; sed conformiter demonstrando in minori
 ista est falsa ‘hic homo est Filius’; et tunc consequentia est
 concedenda, sed altera praemissarum neganda. Si vero demonstraret 1640
 humanitatem, quaelibet praemissarum est falsa; si autem in una
 Patrem et in alia Filium, consequentia nihil valet propter medii
 variationem.

1625 intelligendi] conclusionem *add. sed del. C*

1606 Ad secundam] Cf. supra n. 131.

1645 **143.** Ad tertium, cum dicitur quod si tres assumerent eandem
 naturam vel unica unione vel pluribus, dico breviter quod pluribus. Et
 cum dicitur quod non quia tunc essent plures incarnationes, concedo.
 Et cum dicitur quod hoc est falsum cum non sit nisi una caro, hic dico
 quod cum unitate carnis stat pluralitas incarnationum, quoniam, ut
 alias dictum est, plures relationes possunt in uno absoluto fundari.
 1650 Nunc autem incarnatio est quaedam relatio, et caro quid absolutum; et
 ideo nullum est impossibile plures tales relationes in uno absoluto
 fundari; quare propositum.

144. Ad quartum cum quaeritur si assumerent eandem naturam
 vel essent plures homines vel unus homo, dico quod hic posset
 1655 tripliciter responderi. Primo quod| essent unus homo, ut quidam
 dicunt, et tunc li unus homo supponeret pro divina essentia. Et tunc
 cum dicitur quod essent una persona accipiendo istum terminum
 persona large prout dicit naturam intellectualem independentem, sic
 concederent; sed sumendo stricte negarent.

C 235ra

1660 **145.** Sed contra: ponatur quod divinae proprietates immediate
 terminent ipsam humanitatem, tunc ibi li unus homo non stabit pro
 divina essentia sed potius pro aliqua personarum; et tunc constat quod
 illa propositio est falsa. Et ideo ista responsio non videtur sufficiens
 nisi in casu quo tres assumerent per rationem divinae essentiae
 1665 tamquam per rationem immediatam.

146. Secundo diceretur quod nec ut unus homo nec plures. Non
 unus homo, quia tunc essent una persona. Nec plures homines, quia
 tunc plures humanitates; sed tamen quaelibet personarum est homo.
 Sed contra arguo sic demonstrando Patrem: hic homo est, et similiter
 1670 demonstrando Filium: hic homo est; et hic homo non est hic homo,
 ergo hic homo differet ab hoc homine et per consequens sunt duo
 homines.

147. Et ideo tertia responsio videtur magis rationabilis, videlicet
 quod sunt tres homines. Et cum dicitur quod non, quia eadem ratione
 1675 sunt tres dii pro eo quod in tribus suppositis est una deitas, sic nunc in
 tribus suppositis est una humanitas per hoc dicuntur tres homines,
 ergo pariformiter erunt tres dii, quia in tribus suppositis est una deitas.
 Hic dico quod similitudo non valet. Et ratio est, quia quaelibet illarum
 rationum suppositium transit in identitatem deitatis, et ideo non
 1680 potest sumi plurificatio denominationis nec a parte divinae naturae,
 nec etiam a parte suppositorum, esto quod supposita sint ad invicem
 distincta. Sed in proposito de humanitate non est verum; manet enim
 ipsa distincta a quolibet suppositorum et ita ratione suae distinctionis a

1644 Ad tertium] Cf. supra n. 133.

1653 Ad quartum] Cf. supra n. 134.

1674 cum dicitur] Cf. supra n. 134.

suppositis et ratione distinctionis suppositorum ad invicem, forma potest suam denominationem multiplicare. Et ideo ad hoc quod forma possit plurificare suam concretivam denominationem duplex requiritur distinctio: una forma ad suum subiectum, et alia subiectorum ab invicem. Et ita est in proposito de natura assumenda respectu trium suppositorum; quare intentum. 1685

148. Ad quintum cum dicitur quod tota potentia obiectivalis ipsius humanitatis est exhausta per subsistentiam Verbi, et ideo stante illa non potest ab alio supposito sustentificari. Hic dico quod exhauriri potest intelligi dupliciter, videlicet intensive vel extensive. Sicut, verbi gratia, si imaginaremur formam ignis infinitam et similiter aquae, tunc materia prima esset in potentia ad quamlibet illarum formarum, quae quando esset sub forma ignis esset exhausta intensive, non tamen extensive. Sic in proposito, humanitas assumpta est in potentia obiectivali ad Patrem et Spiritum Sanctum, et ideo licet intensive sit exhausta talis dependentia per subsistentiam Verbi, non tamen extensive| ex hoc non sequitur quin possit a pluribus sumi. 1690 1695 1700

C 235rb

149. Ad sextum et ultimum cum dicitur quod si talis natura posset assumi a tribus suppositis, eadem ratione ab infinitis, hic dico quod si sic intelligatur quod sicut nulla est repugnantia quod talis natura sumatur a tribus suppositis, ita nulla est, dato quod essent infinita supposita; hoc concedo. Et cum probatur quod non, quia tunc talis humanitas esset infinitae perfectionis propter infinitam communicationem sui effectus formalis, hic dico quod ubi pluralitas non arguit maiorem perfectionem quam paucitas, infinitas extensiva nullam arguit perfectionem infinitam intensive, et ita est in proposito. Sicut, verbi gratia, ad imaginationem dicentium naturam communem esse in omnibus suis individuis, si individua in infinitum multiplicarentur, non propter hoc talis natura efficeretur perfectior, quia aequae tota sua perfectio, secundum sic ponentes, salvatur in uno individuo sicut in infinitis; et ita est in proposito. 1705 1710

150. Et si DICATUR quod hic multiplicarentur infinitae relationes sive uniones, hoc CONCEDO. Sed hoc non proveniret effective ab ipsa humanitate, sed a Deo efficiente; nec etiam formaliter ab humanitate, cum sint vel essent relationes extrinsecus advenientes. Et etiam, istis relationibus positus, non est maior intensiva perfectio quam si una tantummodo poneretur, sicut communiter dicitur de individuo eiusdem speciei. Et per hoc apparet quod nulla videtur impossibilitas quare tria supposita non possint assumere unam naturam. 1715 1720

<Dubium 3. Propositio 1>

1690 Ad quintum] Cf. supra n. 135. 1701 Ad sextum] Cf. supra n. 136.

1725 **151.** Tertium dubium erat istud: si unum divinum suppositum
possit plures naturas differentias numero vel specie sustentare. Pro
cuius dubii declaratione tres pono propositiones. Quarum prima sit
ista: relationis fundamentalis diversitas quiditatum non plurificat
terminorum. Volo dicere: quodlibet cuiuslibet relationis realis sit
fundamentum et terminus, non tamen oportet ex diversitate
1730 fundamenti et relationis arguere diversos terminos. Ista conclusio sic
probatur: cuiuslibet effectus ad suam causam est relatio realis, et
plures effectus sunt eiusdem causae. Cum igitur ipsi effectus sint
diversarum relationum fundamenta, et ipsa causa per consequens sit
terminus ipsarum, sequitur ex diversitate relationum vel
1735 fundamentorum non possumus arguere diversos terminos eorumdem.
Aliter oporteret dicere quod quot sunt effectus, tot sunt causae, et cum
infiniti sint effectus, sequitur quod infinitae essent causae, quod
falsum est. Et experientia oppositum manifestat, nam unus calor
infinitos calores saltem constituentes unum producit; quare
1740 propositum.

152. Praeterea, cuiuslibet locati ad suum locatum est relatio
realis. Cum igitur locus naturalis ad quem tendunt gravia ex appetitu
naturae sit centrum terrae, sequitur quod cuiuslibet gravis ad centrum
terrae est relatio realis, et per consequens centrum terrae terminat
1745 omnium gravium tendentias relativas; sed constat quod plura sunt
gravia et unicum centrum terrae; ergo ex diversitate fundamentorum,
sive relationum non possumus arguere differentias terminorum et ita
stat relationum diversitas cum termini unitate.

C 235va

<Propositio 2>

1750 **153.** Secunda propositio est haec: plurium relationum existere
trinam imperfectionem in termino non arguit qualemcumque. Ista
propositio sic probatur: causa in eo quod causa est terminus formaliter
terminans dependentiam effectus; sed causa ut sic nullam dicit
imperfectionem; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et
1755 minor probatur, nam si causa in eo quod causa diceret
imperfectionem, sequeretur quod causa finalis et similiter efficiens
formaliter diceret imperfectionem. Consequentia patet, et consequens
est falsum; quare propositum.

154. Cuius falsitas sic probatur, quoniam de Deo secundum
1760 omnes, tam philosophos quam theologos, dicitur causa finalis et tamen
nulla imperfectio. Similiter de Deo, saltem secundum theologos,
dicitur causa efficiens; quare propositum. Et ex ista probatione

1724 Tertium dubium] Cf. supra n. 85.

sequitur correlarie quod causa materialis, in eo quod causa, non arguit aliquam imperfectionem; patet ex deductione.

155. Praeterea, illud quod advenit rei sine sui quacumque mutatione, et ab ipsa recedit sine eiusdem qualicumque mutatione, nullam arguit in re imperfectionem. Sed formaliter esse terminum unius vel plurium relationum advenit rei sine quacumque ipsius mutatione, et similiter ab ea recedit; quare propositum. Consequentia et maior patent. Et minor probatur, quoniam ex nova positione duorum alborum, tertium album ipsorum similitudines terminat sine quacumque sui mutatione, et similiter ipsis destructis non terminat, nec ipsum tamen intrinsece variatur, nec ex hoc ex magis vel minus perfectum quam ante fuit. Ergo non videtur quod ex hoc quod aliquid est plurium relationum terminus sit perfectum vel imperfectum qualitercumque; quare propositum. 1765 1770 1775

<Propositio 3>

156. Tertia propositio est haec, et quodammodo ex praemissa sequens: entitati qualitercumque imaginarie simplici non repugnat terminum existere diversarum relationum. Ista propositio sic probatur: nam si alicui repugnaret, maxime videretur quod Deo; sed huic non repugnat; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Sed minor probatur, quoniam Deus terminat dependentiam effectivam cuiuslibet creaturae et etiam dependentiam finalem, cum sit finis et efficiens cuiuslibet creaturae, et ut sic non est talium relationum fundamentum; est ergo terminus, et ita habetur propositum. 1780 1785

157. Praeterea, tantae simplicitatis est Pater in divinis quanta imaginabile est quod aliquid sit simplex. Et tamen constat quod est terminus divinarum relationum ad intra, utpote filiationis et spirationis passivae, quia tam Filii quam etiam Spiritus Sancti est principium productivum; quare propositum. 1790

158. Nec valet si dicatur quod sub alia ratione est terminus spirationis passivae et sub alia filiationis, quia paternitas est correlativum filiationis et non spirationis passivae. Aliter ita vere Spiritus Sanctus generaretur sicut Filius, quod non est verum. Sed licet hoc sit verum, tamen per hoc non tollitur quin simplex Patris personalitas sit terminus illarum duarum relationum, sicut divina essentia terminat dependentiam cuiuslibet creaturae| et tamen non sub eadem ratione formali, saltem secundum positiones formalitatum, quia alia ratione conditus est equus, alia homo, ut vult beatus Augustinus; quare propositum. 1795 1800

C 235vb

1800 beatus Augustinus] AUGUST., *De quaestionibus* 83, q. 46 (CCL 44A, ???; PL 40, 30): “Restat ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo qua equus.”

1805 **159.** Ex quibus conclusionibus sequitur dubii pars affirmativa, videlicet quod unum divinum suppositum potest plures naturas differentes numero vel specie sustentare. Ista patet, quoniam si esset aliqua repugnantia, aut hoc esset quia diversarum unionum non potest esse idem terminus, aut quia sic terminare dicit imperfectionem, aut quia repugnat divinae simplicitati. Nullus istorum impedit ut appareat per conclusiones; quare propositum.

1810 **160.** Praeterea, signo duas naturas sive solo numero differentes sive specie. Et arguo sic: quamlibet istarum naturarum potest Verbum assumere et assumptio unius non repugnat assumptioni alterius. Ergo sequitur quod Verbum ipsas potest assumere simul. Consequentia et maior patent. Et minor probatur, nam si esset repugnantia, aut ex parte Verbi, aut ex parte naturae in comparatione <ad> aliam. Non secundo
1815 modo, quia ex assumptione unius naturae non tollitur potentia obiectivialis alterius. Nec primo modo, quia subsistentia Verbi non limitatur per unam naturam tantum. Quod sic probo, quia aut hoc proveniret sibi in quantum est terminus illius naturae, aut quia talis subsistentia non est formaliter infinita, et ideo limitatur ex unione
1820 unius naturae. Primum non impedit, quia eadem entitas potest esse diversarum relationum terminus, ut supra dictum est. Nec secundum impedit, quia licet divina subsistentia ut sic non sit formaliter infinita, non propter hoc sequitur quod sit formaliter finita. Et ideo adhuc non propter hoc limitaretur. Similiter si per impossibile esset finita
1825 subsistentia, adhuc non sequitur quod non posset esse terminus diversarum unionum in diversis naturis. Ut patet, quia eadem causa finita posset infinitorum effectum relationes terminare; quare propositum.

1830 <**Argumenta contra propositionem seu conclusionem tertiam**>

161. Sed contra istam conclusionem, ut ipsius veritas magis appareat, arguo aliquibus mediis. Et primo sic: aliquae sunt naturae quibus repugnat exsistere in eodem, ergo tales non possunt a Verbo assumi. Consequentia patet. Et antecedens probatur: natura humana et
1835 natura asinina sunt huiusmodi; ergo propositum. Probo antecedens: non est minor repugnantia inter denominationes formales istarum naturarum quam sit inter denominationes formales duorum contrariorum, ut puta albedinis et nigredinis, caliditatis et frigiditatis. Sed impossibile est duo contraria esse simul in eodem subiecto ex hoc
1840 quod album esset nigrum et calidum frigidum, ut communiter dicitur. Ergo similiter impossibile est praedictas duas naturas esse in eodem ex

1821 supra dictum] Cf. supra n. 156.

hoc quod illud in quo essent esset asinus et esset homo. Consequentia patet. Probo assumptum: nam ita rationes formales hominis et asini opponuntur sicut rationes formales albi et nigri, quoniam ratio formalis hominis est rationalitas et ratio formalis asini irrationalitas. Sed constat quod istae duae rationes sunt ex opposito conclusae; ergo sunt formaliter repugnantes et per consequens non poterunt eidem convenire. 1845

C 236ra **162.** Conformatur,] ratio: nam ex quibuscumque rationibus contrariis inferuntur contradictoria. Ergo quam impossibile est contradictoria dici de aliquo tam impossibile est contrarias rationes dici de aliquo. Cum igitur rationalitas et irrationalitas sint contraria, sequitur quod quam impossibile est aliquid esse rationale et non esse rationale, tam impossibile est idem esse rationale et irrationale, et per consequens impossibile est illud idem esse hominem et asinum. Et ita apparet per consequens quod Verbum non potest simul naturam asininam assumere et humanam; quod est propositum. 1850 1855

163. Praeterea, impossibile est unum individuum esse in diversis speciebus; sed si Verbum posset assumere duas naturas differentes specie idem individuum esset in diversis speciebus, ergo hoc est impossibile. Consequentia patet et minor ex hoc. Nam Verbum ex hoc quod assumpsit humanam naturam est homo, et per consequens in specie humana. Si ergo, stante tali unione, posset assumere naturam asininam esset asinus, et per consequens esset in specie asinina. et ita si posset simul assumere naturas asininam et humanam, aliquod individuum esset in diversis speciebus. Sed maior, videlicet quod hoc sit impossibile, probatur quoniam species ordinantur sicut numeri et per consequens minimum individuum in perfectione superioris speciei est perfectius perfectissimo inferioris speciei. Si ergo idem individuum esset in diversis speciebus, sequitur quod idem esset se ipso perfectius quod est absurdum; quare propositum. 1860 1865 1870

164. Praeterea, si posset assumere plures naturas indifferenter, sive solo numero sive specie differentes, ponatur quod assumat tres naturas humanas. Quo facto quaero: aut est unus homo aut plures homines. Non est dicendum quod unus homo, quia quaero per quam naturam est unus homo; sint *a b c* illae naturae. Non per *a*, quia *a* non existente non minus Verbum est unus homo. Et similiter *b* non existente, non minus Verbum est unus homo, et eadem ratione *c* non existente, adhuc Verbum esset unus homo. Ergo sequitur quod ex quo 1875

1842 illud] quod *add.* C

1867 ordinantur...numeri] Cf. ARIST., *Metaph.*, VIII (AL XXV-3, 173; H, c. 3; 1043b 33-1044a 2).

1880 per quamlibet naturarum habet quod sit homo et per nullam quod sit
 unus homo, sequitur quod non est dicendum in casu isto quod sit unus
 homo.

1885 **165.** Sed probo quod nec plures, quia si esset plures homines,
 sequitur quod esset plures personae. Consequens est falsum, quia tunc
 una persona esset plures personae, quod non videtur verum. Et
 consequentia patet, quia sequitur 'a est homo, ergo a est persona'.
 Ergo multiplicato significato per antecedens, multiplicatur
 significatum per consequens; et per consequens sequitur 'a est
 1890 homines, ergo a est personae'. Et sic apparet cum non possit in tali
 casu huiusmodi assumptio nec per dictionem(?) unitatis nec similiter
 pluralitatis quod assumptio talis est impossibilis.

166. Praeterea, assumat Verbum asinitatem et humanitatem, ex
 quo per conclusionem hoc est possibile, tunc Verbum est homo et
 similiter asinus. Quaero igitur numquid sit unum animal vel plura
 1895 animalia? Non est dicendum quod sit unum animal, quia quaero aut
 rationale aut irrationale? Non irrationale, quia tunc homo et asinus
 esset animal irrationale quod videtur absurdum. Similiter si detur quod
 sit rationale, sequitur quod homo et asinus sint animal rationale quod
 videtur falsum, quia tunc asinus et homo esset homo. Nec etiam est
 1900 dicendum quod esset plura animalia, quia tunc vel rationalia vel
 irrationalia, vel unum rationale et aliud irrationale. Prima duo non
 possunt dari, quia ex eadem natura rationali et irrationali eadem
 personalitate non possunt constare plura animalia rationabilia, et
 similiter de plurificatione irrationalium. Nec est dicendum quod sit
 1905 duo animalia quorum unum esset rationale et aliud irrationale, quia
 tunc essent plura individua diversarum specierum, quod videtur
 impossibile. Nam tunc una species esset alia et similiter genera
 coinciderent quod non videtur verum; quare propositum.

167. Praeterea, data illa conclusione, sequitur quod possibile est
 1910 substantia esse accidens; consequens est falsum, ergo et antecedens.
 Cuius falsitas ex hoc apparet quod impossibile est duo ex opposito
 dividenda aliquod commune unum de altero praedicari; sed substantia
 et accidens dividunt ex opposito totum ambitum entis; ergo
 propositum. Sed consequentia probatur, nam ex quo potest assumere
 1915 duo individua diversarum specierum, cum non sit maior ratio de
 individuis diversarum specierum quam diversorum generum, sequitur
 quod potest assumere duo individua diversorum generum, et ita
 assumat unam albedinem cum naturam iam assumpta, sequitur quod
 sicut per assumptionem humanitatis est substantia humana, ita per
 1920 assumptionem albedinis erit accidens disgregativum visus, et per

1898 quod²] non *add. sed del.* C

consequens accidens disgregativum visus erit substantia humana, et per consequens accidens erit substantia. Consequentia ista patet ab inferiori ad superius ex parte utriusque extremi; quare propositum.

<Contra argumenta supra allegata>

168. Ad istas rationes respondeo. Ad primam cum dicitur quod aliqua sunt naturae quibus repugnant existere in eodem, hic breviter dico quod esse in eodem potest intelligi, vel in eodem subiecto, vel in eodem supposito, vel in eodem loco. Et qualitercumque intelligatur dico quod de potentia Dei absoluta nullis naturis creatis repugnat existere simul quocumque trium praedictorum modorum.

169. Et ad improbationem cum dicitur quod non magis repugnant denominationes formales duorum contrariorum quam talium naturarum, sed haec est impossibilis ‘album est nigrum’, ergo et haec similiter ‘homo est asinus’. Et per consequens non posset duas tales naturas assumere. Breviter nego quod haec propositio sit impossibilis ‘album est nigrum’, nam si Deus assumeret albedinem et nigredinem, ita esset haec vera ‘album est nigrum’ sicut in casu quo assumeret naturam asininam et humanam esset haec vera ‘homo est asinus’.

170. Et ad improbationem quae adducitur in conformatione quia ex contrariis semper sequuntur contradictoria, et per consequens quam impossibile est contradictoria de eodem dici, tam et contraria; nunc autem album et nigrum sunt contraria; quare propositum. Hic dico quod contrarietas potest sumi dupliciter: vel materialiter vel formaliter. Contrarietatem formalem voco ipsam repugnantiam terminorum, materialem vero quae est in terminis ratione rerum. Ad propositum dicitur dico quod nulli termini concretivi connotative sumpti habent contrarietatem primo modo licet quandoque inveniatur(?) habere secundo modo ratione materiae, et ideo non oportet quod formaliter ex positione unius sequitur negatio alterius dici de illo, ut haec sit bona consequentia ‘hoc est album, ergo hoc est non nigrum’. Regula igitur illa qua dicitur quod semper ex contrariis sequuntur contradictoria, intelligenda est de contrariis formaliter, aliter non habet locum sicut in proposito manifeste apparet.

171. Ad secundam cum dicitur quod impossibile est unum individuum esse in diversis speciebus, et hoc maxime specialissimis, et per consequens impossibile est quod homo sit asinus, hic dico quod esse diversarum specierum potest esse dupliciter: uno modo quando terminus specificus praedicatur de aliquibus in recto et absolute, sicut

1925 Ad primam] Cf. supra n. 161. 1931 ad improbationem] Cf. supra n. 161. 1940 ad improbationem] Cf. supra n. 162. 1955 Ad secundam] Cf. supra n. 163.

1960 dicimus quod 'Sortes est homo' et 'hoc accidens est albedo'. Alio
modo quando terminus specificus non sumitur absolute sed
connotative, sicut dicimus quod isti termini 'album' et 'dulce' sunt
termini connotantes res diversarum specierum a quibus
denominationes huiusmodi consurgunt. Dico igitur quod primo modo
1965 esse aliquid unum in diversis speciebus est impossibile; sed secundo
modo non; scut idem subiectum potest dici in specie albi et dulcis. Et
sic etiam in casu quo Verbum assumeret naturas diversarum
specierum diceretur esse in diversis speciebus propter
communicationem idiomatum. Et secundum hoc ista conclusio est
1970 possibilis quod aliquod individuum in specie formicae est perfectius
perfectissimo individuo in specie angelica. Et sic de similibus
conclusionibus quas uniuscuiusque ingenio de relinquo.

172. Ad tertium cum dicitur quod si potest assumere pluras
naturas numero vel specie differentes, ponatur quod assumat tres
1975 naturas humanas, admitto casum. Et tunc cum quaeritur vel esset unus
homo vel plures homines, hic solet tripliciter responderi.

173. Quidam dicunt quod essent plures homines. Sed contra,
quia tunc essent plura supposita et plures personae, quod falsum est,
cum ibi non sit nisi unica Verbi personalitas.

1980 **174.** Aliqui dicunt quod nec essent plures homines nec unus
homo. Sed contra: unum et multa dividunt ens et quodlibet sub eo
contento; sed homo est quid contentum sub homine; ergo quod est
homo vel est unus homo vel plures. Sed in casu isto, Verbum esset
homo. Quod sic probo, nam ex positione unius humanitatis tantum in
1985 Verbo consurgit denominatio concretiva quod Verbum est homo; sed
additio alterius humanitatis denominationem non diminuit sed potius
auget; ergo quam per assumptionem unius humanitatis| vere dicitur
homo tam per assumptionem plurium vere dicitur homo quod
concedo.

1990 **175.** Et ideo sto cum tertia responsione quod in tali casu Verbum
esset unus homo, sicut verbi gratia, ex hoc quod in uno intellectu
multiplicantur diversae scientiae, non propter hoc ille intellectus
dicitur esse plures scientes sed unus sciens, et ita cum unitate rationis
suppositalis et naturarum pluralitate numquam potest consurgere quod
1995 sint plura supposita, licet e contra hoc sit verum ut alias dictum est.

176. Et ad improbationem cum dicitur quod sint illae naturae
humanae *a b c*, tunc sic: *a* non existente, non minus Verbum est homo.

1991 gratia] cum unitate rationis suppositalis et naturarum pluralitate *add. sed del. signis
va-cat C*

1973 Ad tertium] Cf. supra n. 164. **1996** ad improbationem] Cf. supra n. 164-165.

Hic dico quod ille ablativus potest sumi condicionaliter, causaliter vel temporaliter. Primis duobus modis propositio est falsa et impossibilis, quia denotatur quod haec sit bona consequentia ‘*a* non existit unum Verbo, ergo Verbum est homo’, quae consequentia nihil valet. Si vero sumatur temporaliter, tunc propositio illa est possibilis, sed ex hoc non sequitur quin per quamlibet humanitatem competat sibi quod sit homo. Sed bene verum est quod per nullam illarum humanitatum habet quod sit totaliter homo, et tamen per quamlibet habet quod sit homo. Sicut duo accidentia informant idem subiectum, utputa duae albedines, subiectum per quamlibet illarum albedinum dicitur album, non tamen ex aliqua illarum habet quod sit totaliter album, quia remota una albedina adhuc diceretur album, et sic est in proposito, quare intentum.

177. Ad quartum cum dicitur quod assumat Deus asinitatem et humanitatem, admitto. Et cum dicitur vel erit unum animal vel plura, dico quod unum. Et cum arguitur quod non, quia vel rationale vel irrationale, dico quod utrumque potest concedi in casu illo, videlicet quod est animal rationale et similiter animal irrationale. Et concedendum est quod animal rationale est animal irrationale, quia sustentificans naturam rationalem est sustentificans naturam irrationalem; quod in proposito praemissa propositio nihil aliud sonat sicut ‘album est dulce’, quia sustentificans albedinem est sustentificans dulcedinem. Et cum dicitur quod tunc ‘homo et asinus essent homo’, concedo conclusionem in casu illo, quia de eodem dicuntur illi duo termini, videlicet copulatum et eius pars. Nam in tali casu verum est quod ‘Verbum est homo et asinus’, et similiter verum est quod est homo, ex quibus sequitur quod ‘homo et asinus sunt homo’. Unde istae essent concedendae ‘Deus homo et asinus’ est vel ‘sunt asinus’, ‘asinum generavit beata Virgo’, ‘asinus iudicabit mundum’. Hae inquam propositiones sunt posibles in casu quo Verbum, stante unione humanitatis, assumeret naturam asininam. Similiter asinus est obiectum beatorum in patria, quae licet videantur infidelibus impossibiles, hoc non est nisi quia non cogitant modum loquendi a catholicorum; quare propositum.

178. Ad quintum et ultimum cum dicitur quod data illa conclusione sequitur quod possibile est substantiam esse accidens, hic dico quod si iste terminus accidens ex usu loquentium posset sumi indifferenter concretive et abstractive sive absolute et connotative, sicut est de isto termino ‘homo’ quod tunc conclusio concedenda esset de possibili. Et tunc illud quod allegatur non faceret contra hoc quia ut sic substantia et accidens non dividunt ambitum entis sed solum prout

C 237ra

2011 Ad quartum] Cf. supra n. 166. **2032** Ad quintum] Cf. supra n. 167.

sumuntur illi termini absolute. Verumtamen, quia ex usu loquentium
 2040 non videtur quod iste terminus ‘accidens’ sumatur nisi tantummodo
 absolute, et sic praedicatur de albedine et aliis qualitativis, ideo non
 esset concedendum quod possibile est substantiam esse accidens. Et
 cum dicitur quod sic quia assumat Deus albedinem in nomine Domini,
 tunc Deus esset accidens, dico quod non, sicut ex hoc quod assumit
 2045 naturam humanam, non est propter hoc humanitas.

179. Et si DICATUR: quomodo ergo exprimeremus
 praedicationem illius unionis? DICO tunc quod in casu illo oporteret
 nos fingere nomen, vel illum terminum dupliciter sumere, ut sicut ab
 albedine venit album, ita ab accidente diceretur accidentaneus vel
 2050 etiam accidentalis. Unde ex his apparet quod iste terminus ‘homo’ non
 eodem modo dicitur de quolibet suo significato.

180. Et si DICATUR quod secundum hoc Christus est homo
 aequivoce nobiscum, hic DICO quod proprie nec est homo univoce
 nobiscum nec aequivoce. Et ratio est quia haec praedicatio non est
 2055 essentialis ‘Deus est homo’, sed ista bene ‘Sortes est homo’ vel ‘hoc
 est homo’ et hoc saltem naturaliter. Et ideo ille terminus non proprie
 potest dici univocus nec etiam aequivocus quia humanitas Verbi et
 humanitas Petri sunt eiusdem rationis. Et ideo proprie loquendo ille
 terminus ‘homo’ comparatus ad quodlibet suum significatum nec est
 2060 proprie univocus nec aequivocus nec denominativus.

181. Et per hoc apparet quod divisio Aristotelis in
Praedicamentis non videtur sufficiens. Et ideo si quis vult naturam
 illius termini imaginari, oportet quod concipiat unum terminum
 univoco et denominativo communem.

182. Et si DICATUR quod secundum hoc iste terminus ‘homo’
 non esset terminus specificus, quia quilibet talis est univocus, hic DICO
 quod ex quo divisio Aristotelis est insufficientis, oportet nos imaginari
 terminum specificum qui proprie non est univocus. Et ex hoc sequitur
 quod stat aliqua esse eiusdem speciei et tamen non per rationem
 2070 proprie univocam. Sicut Christus dicitur esse individuum humanae
 speciei, et tamen non proprie univoce eo modo quod ratio hominis
 dicitur de Sorte et Platone. Sic igitur apparet quid est de praemisso
 dubio rationabiliter sustinendum, et similiter qualiter est dicendum ad
 articulum.

2075

<Dubium 4>

183. Quartum dubium erat istud: numquid sit possibile aliquam
 proprietatem in divinis alicuius naturae] creatae terminare C 237rb

2061 divisio Aristotelis] Cf. ARIST., *Categ.*, c. 1 (AL I-1, 5; c. 1; 1a 1-12).
 Quartum dubium] Cf. supra n. 85.

dependentiam sine essentia vel e contra? Pro cuius dubii notitia pleniori duo faciam. Primo per certas conclusiones, ex prima unum modum quem falsum reputo, licet quondam(?) ipsum a contradictione dependibilem; secundo dicam breviter quid secundum rei veritatem est de praemisso dubio sentiendum. 2080

184. Pro primo igitur exsequendo suppono ad praesens quod alias improbavi, videlicet quod idiomatum communicatio fiat per hoc quod denominationes concretive unius naturae dicantur de altera et e contra indifferenter et indistincte, quamvis de se invicem abstractivae nullatenus possint dici; ut sicut haec est vera ‘divinitas est homo’, sicut versa vice haec sit vera ‘humanitas est Deus’. 2085

<Conclusio 1>

185. Quo supposito quinque ponuntur conclusiones praefati modi notitiam exhibentes. Quarum prima est haec: possibile est divinam essentiam primo et immediate per modum formae subsistentis uniri alicui et eidem non uniri secundum aliquam rationem suppositalem. Ista conclusio sic probatur: quodlibet prius secundum suam rationem formalem alicui unibile potest sine contradictione uniri eidem sine suo posteriori. Sed divina essentia et quaelibet ratio suppositalis sic se habent quod per prius est divina essentia ipsis rationibus suppositalibus et tam divina essentia quam quaelibet ratio suppositalis sunt creaturae unibiles per modum sustentificantis; ergo propositum. Consequentia patet, et minor ex hoc est nota quia omnis ratio supponens aliam et non e contra est posterior illa ratione quam praesupponit. Nunc autem quaelibet ratio suppositalis in divinis praesupponit divinam essentiam et non e contra; ergo propositum. Et maior probatur, nam signatis priori et posteriori quorum quodlibet est unibile alicui creaturae, utputa humanitati, si prius non potest uniri et e contra suo posteriori. Quaero unde provenit haec impossibilitas? Aut propter dependentiam quam habet prius ad suum posterius, aut propter identitatem realem prioris et posterioris. Primum non est in proposito, quia prius non dependet a posteriori. Nec secundum impedit, quia non obstante identitate reali memoriae fecundae ad ipsum Verbum, adhuc Verbum per ipsum non potest generare; ergo adhuc non obstante identitate reali prioris ad suum posterius, hoc est divinae essentiae ad relationes, adhuc divina essentia posset per modum formae subsistentis uniri alicui naturae creatae absque hoc quod eidem aliqua divina relatio uniatur; et per consequens propositum. 2090 2095 2100 2105 2110 2115

186. Praeterea, non est maius impossibile quod divina essentia alicui creaturae uniatur per modum vitaliter immutantis sine divinis relationibus quam quod eidem uniatur sine huiusmodi relationibus per modum formae subsistentis. Sed primum est possibile, ergo et secundum. Consequentia patet, et minor apparet per ea dicta sunt in 2^a 2120

quaestione 1ⁱ articulo 2^o de imaginatione Doctoris Subtilis ubi ostensum est quod quis potest videre essentiam non videndo personam. Et maior probatur, nam ex quo aequae divinae essentiae est terminus unius unionis sicut et alterius, sequitur realis identitas
 2125 divinae essentiae ad relationes non infertur ex hoc quod visio terminatur ad essentiam quod terminetur ad personas, cum eadem realis identitas non impediet essentiam uniri sine relationibus, et hoc per modum formae sustentificantis; quare propositum.

187. Et ex ista conclusione sequuntur conclusiones quae videntur mirabiles. Prima quod per communicationem idiomatum, prout supponitur superius, possibile est aliquid esse Deum quod tamen non erit Pater nec Filius nec Spiritus Sanctus, et hoc tam copulative quam de copulato extremo. Ista propositio apparet, nam ex hoc quod divina essentia unitur humanitati per modum formae subsistentis ipsa
 2130 est Deus. Sed ex hoc non unitur alicui personae, ergo non habet unde formaliter possit sumere denominationem personalem, et ita propositum.

188. Secunda propositio, haec consequentia non est formalis ‘*a* est Deus, ergo *a* est persona’; nec ista ‘*b* est homo ergo *b* est persona’; patet in casu illa in quo divina essentia sic videretur sine divinis relationibus.
 2140

<Conclusio 2>

189. Secunda conclusio est haec: possibile est divinam essentiam uniri alicui per modum formae subsistentis secundum aliquam rationem essentialiam et non secundum quamlibet sibi
 2145 intrinsecam et essentialiam. Verbi gratia pro intellectu conclusionis rationes essentialia, ut sunt vita, intelligentia et sic de aliis, competunt divinae essentiae et stat uniri alicui in ratione vitae et non in ratione sapientiae, et sic de aliis. Ista conclusio sic probatur: vel inter rationes essentialia est aliquis ordo vel nullus. Si aliquis, sequitur quod inter ipsas est prius et posterius, et per consequens, sicut prius deductum est, cum stet prius uniri sine suo posteriori, sequitur quod stat ipsam secundum unam rationem essentialiam uniri et non secundum aliam. Si nullus est ordo, sequitur quod adhuc hoc videtur magis possibile, quia
 2150 una ratio ab alia non dependet, et per consequens una sine alia est alicui unibilis; quod est propositum.

190. Praeterea, qualis distinctio est divinae essentiae ad relationes divinas, talis est rationum essentialium ad invicem. Apparet,

2126 cum] tam C

2121 Doctoris Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio in III Sent.*???

2143 Secunda

conclusio] Cf. supra n. 187.

quia utrobique est formalis distinctio secundum viam formalizantium. Sed non obstante identitate reali inter divinam essentiam et divinas relationes propter ipsarum distinctionem formalem stat divinam essentiam uniri alicui humanitati sine divinis relationibus ut dicit praecedens confusio. Ergo et in proposito non obstante identitate reali ipsarum rationum essentialium stat unam sine altera uniri alicui creaturae; quod est propositum. 2160
2165

<Propositio 1>

191. Ex qua conclusione sequuntur aliquae propositiones quae videntur mirabiles. Quarum prima est haec: per communicationem C 237vb idiomatum] possibile est aliquid esse immense sapiens et ipsum non esse Deum. Patet in casu quo divina essentia uniretur alicui secundum rationem essentialem sapientiae praecise. Constat quod illud denominaretur infinite sapiens et tamen non esset Deus, quia deitas non uniretur secundum totam plenitudinem deitatis. 2170

<Propositio 2>

192. Secunda propositio est haec: stat aliquid esse infintium ens et tamen non posse creare. Patet in praemisso casu: si divina essentia uniretur alicui secundum aliquam rationem essentialem et non secundum aliquam causalem, unde universaliter, secundum istum bonum dicendi, omnes illae propositiones essent possibiles de istis denominationibus quarum una alterum formaliter non praesupponit. 2175
2180

<Conclusio 3>

193. Tertia conclusio est haec: stat aliquam rationem suppositalem alicui naturae creatae uniri per modum sustentificantis sine essentia deitatis. Ista conclusio sic probatur: ratio suppositalis et ratio essentialis sunt rationes formaliter ab invicem condistinctae, et aequae ex ratione formali rationis suppositalis est subsistere sicut est ratione formali divinae essentiae. Ergo quam divinae essentiae non repugnat terminare dependentiam alicuius creaturae sine ratione suppositali, tam non repugnat rationi suppositali terminare sine ratione essentiali. Consequentia ista patet, nam non videtur aliqua ratio quare divina essentia potest sine relationibus aliquam dependentiam terminare nisi quia divina essentia est a relationibus distincta formaliter et habet ex se subsistere quia non intelligitur in relationibus per modum inhaerentis. Cum igitur totum hoc reperiatur in 2185
2190

2182 Tertia conclusio] Cf. supra n. 187.

2195 relationibus, sequitur quod nulla videtur impossibilitas; quare
propositum.

2200 **194.** Praeterea, si non staret rationem suppositalem terminare
sine ratione essentiali, hoc maxime videretur propter prioritatem quae
est inter rationem suppositalem et rationem essentialem, quia ratio
suppositalis praesupponit rationem essentialem. Sed probo quod hoc
non impedit, nam constat quod inter relationes originis est ordo, et per
consequens prius et posterius, et plus unum relativum praeexigit suum
correlativum quam quocumque non tale, et per consequens plus ratio
2205 filiationis praesupponit rationem paternitatis quam faciat aliquam
rationem essentialem. Sed hoc non obstante, ipsa filiatio est
humanitati unita, non autem paternitas vel passiva spiratio. Ergo a
fortiori hoc fieri potest sine quacumque repugnantia quod ratio
suppositalis terminet dependentiam alicuius naturae sine quacumque
ratione suppositali; quod est propositum.

2210 <**Propositio 1**>

195. Et ex ista conclusione sequuntur istae propositiones. Prima
quod per communicationem idiomatum possibile est aliquem esse
Verbum incarnatum et tamen non esse Deum. Patet: ex quo stat uniri
rationem suppositalem sine essentiali et ex tali unione unitum recipit
2215 denominationem concretivam Verbi.

<**Propositio 2**>

196. Secunda propositio est haec: possibile est aliquid esse
Patrem in divinis et non posse Filium generare. Patet in casu quo
alicui uniretur] proprietas personalis Patris sine quacumque ratione C 238ra
2220 essentiali. Tunc per communicationem idiomatum tale esset Pater in
divinis et tamen non posset Filium generare, cum sibi nulla ratio
essentialis sit unita, et ita per consequens nec ratio memoriae fecundae
ratione cuius ponitur in divinis generatio, et ita cui ratio memoriae
fecundae non esset communicata, non haberet quod posset in divinis
2225 aliquid generare; quod est propositum.

<**Conclusio 4**>

197. Quarta conclusio est haec: possibile est aliquam rationem
notionalem uniri alicui naturae sine quacumque ratione
incommunicabili. Ista conclusio probatur; quoniam spiratio activa non
2230 est ratio notionalis incommunicabilis, cum haec sit Patri et Filio
communis, et haec potest sine aliis relationibus terminare; ergo

2227 possibile est] *mg. a. m. C*

2227 Quarta conclusio] Cf. supra n. 187.

propositum. Consequentia patet. Sed minor probatur, quoniam spiratio activa non praesupponit necessario quamlibet aliarum, et hoc secundum propriam rationem formalem, et est ab aliis relationibus distincta; ergo ita potest per se sine aliis terminare sicut et aliae sine ista. Et sicut rationes essentielles possunt terminare sine ista, non videtur, ut prius deductum est, quare non versa vice. 2235

198. Et ex ista conclusione sequitur correlarie quod per communicationem idiomatum possibile est aliquid esse spiratorem in divinis quod tamen non est Deus nec Pater nec Filius nec aliquod suppositum in divinis. Patet in casu quo praecise spiratio activa alicui uniretur sine aliis relationibus et rationibus essentialibus; quod est propositum. 2240

<Conclusio 5>

199. Quinta conclusio est haec: stat divina essentiam alicui uniri secundum rationem causalem, et eidem non uniri secundum aliquam rationem essentialem. Ista conclusio sic probatur: ratio causalis et essentialis sunt formaliter distinctae, et quaelibet illarum est formaliter et ex ratione propria subsistens, nec prioritas unius ad aliam impedit unibilitatem unius sine alia, ut prius deductum est; ergo propositum. Consequentia patet. Et assumptum apparet, nam si ratio causalis et essentialis non essent formaliter distinctae, sequitur quod cuicumque communicaretur ratio essentialis, eidem communicaretur ratio causalis, quod falsum apparet in materia prima cui non est communicata ratio causalis effectiva. Quod quaelibet illarum sit subsistens formaliter apparet, quia nulla illarum intelligitur per modum inhaerentis, cum hoc dicat imperfectionem; quare propositum. 2245 2250 2255

200. Et ex ista conclusione sequitur correlarie quod per communicationem idiomatum possibile est aliquid esse omnipotens et illud non esse Deum. Ista apparet in casu quod divina essentia uniretur alicui secundum rationem causalem effectivam tantum et non secundum aliquam rationem essentialem, quia ex quo Deus per rationem huiusmodi habet quod sit formaliter omnipotens, et non habet quod sit Deus, sequitur quod in quocumque esset praecise talis ratio, illud denominaretur omnipotens sine pluri(?) et ita apparet quod non sequitur formaliter ‘a est omnipotens, ergo a est Deus’. Si igitur apparet, secundum istum modum, quod dubii pars affirmativa esset sustinenda, videlicet quod personalis proprietas potest sine essentialibus rationibus, et e contra essentialis ratio sine personalibus potest alicuius naturae dependentiam terminare. 2260 2265 2270

C 238rb

2262 essentialem] ut *add. sed del. C*

<Alius modus dicendi>

2275 **201.** Sed licet ista via sit a contradictione defectibilis, tamen non videtur vera nec multum tuta, cum propositiones non parum male sonantes et impossibiles concedere videantur. Et ideo sequitur secundus modus in hac materia sustinendus, praemisso contrario cuius probationes erunt contra praemissum modum obiectivos. Et consequenter solvam rationes adductas pro praemissa via.

<Conclusio 1>

2280 **202.** Sit igitur ista prima conclusio: non est possibile divinam essentiam alicui uniri per modum sustentificantis primo et immediate, et eidem non uniri quamlibet personam divinam. Ista conclusio sic probatur: quodcumque aliquid est ratio essendi aliquibus, si illud non per concomitantiam sed per rationem propriam est alicubi, sequitur quod et quodlibet cuius est ratio existendi. Ista propositio
2285 videtur de se nota, cum igitur divina essentia sit ratio essendi cuilibet personae divinae; sequitur propositum.

<Instantia et responsio Petri>

203. Sed forsan contra hoc diceret aliquis, ut videtur dicere magister Ioannes in suis determinationibus quaestione 1, articulo 4,
2290 quod licet non sit possibile quod divina essentia uniat alicui primo et immediate et non persona, tamen non oportet quod ex tali unione sequatur necessario unio cuiuslibet personae. Unde ipse imaginatur sicut est de specie respectu suorum individuorum quod quamvis ex
2295 positione humanitatis non sequitur per se Sortem esse, tamen bene sequitur aliquod individuum esse. Ita in proposito staret divinam essentiam primo et immediate uniri alicui et non Patrem, quia posset alicui uniri prout est in Filio.

204. Sed ista instantia non impedit nec exemplum facit multum ad propositum, quia ratio humanitatis non est quaedam entitas
2300 singularis sicut est ratio divinae essentiae. Et ideo ratio humanitatis primo et immediate posset esse alicubi ubi non esset Plato, licet non sic sit de divina essentia. Et ideo non staret quod alicui primo et immediate uniretur nisi etiam quaelibet persona eidem uniretur, cum
2305 omnis ratio essentialis aequae immediate et singulariter respiciat omnes personas sicut facit species rationem individui in confuso. Quam ergo non stat hominem esse sine aliquo individuo quia necessario requiritur hoc vel illud, tam et divinam essentiam sine personis ubi hoc provenit primo et immediate ratione divinae essentiae.

2291 persona] personam(?) C 2295 esse] essent(?) C

2289 magister Ioannes] Ioannis Warae, ???

205. Ex quo apparet quod prima conclusio praemissi modi falsa videtur et impossibilis. Nam idem ponit acsi diceretur possibile est hominem esse et tamen non esse aliquod individuum hominis, quod non videtur verum; quare propositum. 2310

<Conclusio 2>

206. Secunda conclusio est haec: non est possibile divinam proprietatem alicui uniri et eidem divinam essentiam non uniri. Ista conclusio sic probatur: quoniam conformis habitudo videtur Sortis ad hominem et personae ad essentiam; sed contradictionem implicat Sortem esse alicubi ubi non sit homo; ergo et similiter contradictionem videtur implicare personam| uniri alicui et non divinam essentiam. Ut sic possit ratio confirmari: non stat aliquid posterius sine suo priori quia necessario praesupponit prius; sed persona praesupponit necessario divinam essentiam; ergo propositum. 2315
C 238va 2320

<Conclusio 3>

207. Tertia propositio est haec: possibile est divinam essentiam alicui uniri primo et immediate quandoque per rationem personalem, quandoque per rationem essentialem, quandoque per aliquam communem relationem. Ex quibus concomitanter semper sequitur divinam essentiam esse unitam. Patet, quia omnes tales rationes praesupponunt et exigunt divinam essentiam. 2325

<Conclusio 4>

208. Quarta propositio est haec: possibile est unam proprietatem sine alio alicui uniri. Patet, quia sunt distincte realiter, et una potest esse terminus unionis realis sine alia, et istud etiam tenemus per fidem, quia una persona est sine alia incarnata. 2330

209. Ex quibus propositionibus sequitur dubii pars negativa, videlicet quod una persona non potest alicui uniri sine essentia, nec essentia primo et immediate sine persona. 2335

<Ad rationes opinionis oppositae>

210. Ad rationes igitur adductas pro alia positione. Ad primam quae probare nititur quod possibile est essentiam sine aliqua persona incarnari, per hoc quod omne prius alicui unibile potest sine contradictione eidem uniri sine suo posteriori. Sed sic est de divina essentia et relatione; ergo propositum hic dicitur negando maiorem. Et cum quaeritur unde oritur haec impossibilitas? Dicitur quod propter 2340

2310 impossibilis] acsi diceretur possibile esse hominem *add. sed del signis va-cat C*
2328 essentiam] semper *add. sed del. C*

2314 Secunda conclusio] Cf. supra n. 202. **2339** Ad primam] Cf. supra n.

2345 identitatem realem divinae essentiae ad personas. Et cum dicitur quod
non, quia memoria fecunda est idem realiter cum persona Filii, et
tamen per ipsam Filius non potest producere sive generare, ergo et in
proposito.

2350 **211.** Hic dico quod similitudo non valet, et ratio est sicut non
sequitur de Patre et essentia verificantur contradictoria, ergo essentia
potest sine persona primo et immediate incarnari, quia prima
contradictio verificatur propter differentiam personalem, sed secunda
non habet locum pro tanto essentiam ad personam non per
compositionem ad aliam personam, et ideo ratio parum valet.

2355 **212.** Ad secundam cum dicitur quod non videtur maius
impossibile essentiam posset incarnari sine persona quam videri sine
persona; ergo propositum. Hic dico quod est magna diversitas, quia
res potest diversimode concipi, sed non propter hoc diversimode esse.
Unde videre divinam essentiam et non personam est habere
2360 conceptum simplicem de divina essentia et non de persona. Et
similiter videre unam personam sine alia est habere conceptum
simplicem unius personae et non alterius, et hoc est possibile. Sed
quod aliqua sit taliter ratione unum sic unitum et aliud non unitum,
intellectus non concipit. Et ideo licet potentiae operativae possint
2365 tendere diversimode in rerum existentias, non tamen propter hoc
rerum existentiae separantur. Nunc autem| illud argumentum quo
probatum uno supposito posse aliquem frui sine reliquo per hoc quod
potuit incarnari, procedit a fortiori, quia realis terminatio potest fieri a
fortiori et intentionalis, sed e converso modus arguendi non valet.

2370 **213.** Consimiliter ad alias duas rationes adductas pro probatione
secundae conclusionis, dicendum est sicut dictum fuit hic ad primam,
quod una ratio essentialis non potest sine alia incarnari propter
ipsarum identitatem realem. Et ex hoc apparet quod sola distinctio
formalis non sufficit quod unum possit sine alio incarnari. Et super
2375 isto fundamento videtur omnes praemissae rationes fundari, quod non
videtur verum. Similiter suppositum quod ibi supponitur, non videtur
verum de illa communicatione idiomatum. Unde non est mirum si ex
duobus uno, videlicet supposito falso et fundamento impossibili,
sequantur mirabiles conclusiones. Et sic apparet qualiter est ad illud
2380 dubium catholice respondendum.

<Dubium 5. Propositio 1>

214. Quintum dubium fuit: si sit possibile Verbum assumere
aliquam naturam personalitate propria personatam. Pro cuius dubii

2355 Ad secundam] Cf. supra n. 2371 ad primam] Cf. supra n. 210-211. 2382 Quintum
dubium] Cf. supra n. 85.

declaratione tres pono propositiones. Quarum prima est haec: ratio
 personalitatis creaturis conveniens ultra naturae intellectualis
 substantiam, non addit nisi duplicis dependentiae negationem. Ista
 propositio superius fuit declarata, quae modo etiam breviter sic
 declaratur. Omnis ratio positiva in specie quae nunc est in aliquo
 individuo in specie humana, utpota in Sorte, est similiter in humanitate
 Christi. Sed humanitas Christi, ex concordi doctorum sententia non est
 persona. Ergo ratio personalitatis non addit aliquid positivum ultra
 naturam intellectualem. Consequentia patet, probatur maior, quia aliter
 humanitas Christi careret aliqua perfectione quae requiritur ad
 integritatem suae speciei, quod non est verum; quare propositum.

215. Et tunc ultra: constat quod natura intellectualis
 quadrupliciter variatur: quaedam est propria subsistentia subsistens,
 nec ex suam natura est apta nata aliter quam propria subsistentia
 subsistere; quaedam non subsistit subsistentia propria nec ex natura
 propria est apta nata subsistere subsistentia aliena; quaedam non
 subsistit subsistentia propria et est apta nata subsistere subsistentia
 aliena; et quaedam subsistit subsistentia propria et tamen est apta nata
 subsistentia aliena subsistere. Sed constat quod ultimus modus
 competit animabus separatis quae tamen non sunt personae, ut volunt
 communiter doctores. Tertius modus competit animabus conciuinctis
 quae etiam a fortiori non sunt personae. Secundus modus competit
 humanitati Christi quae etiam non est persona. Igitur per sufficientem
 divisionem, si alicubi salvatur ratio personalitatis, hoc maxime videtur
 penes primum modum] sed constat quod ille includit, ultra rationem
 naturae intellectualis, negationem duplicis dependentiae; quare
 propositum.

C 239ra

<Propositio 2>

216. Secunda propositio est haec: sustentificare, prout a
 causalitate effectiva praescinditur, nihil aliud est quam alicuius
 naturae dependentiam terminare. Ista propositio apparet ex communi
 modo loquendi et etiam apparet in accidentibus respectu suorum
 subiectorum quae simul producuntur cum suis subiectis, et tamen
 accidens dependet a subiecto, nec tamen dependentia effectiva nec
 conservativa tantum, et per consequens dependet a subiecto in hoc
 quod subsistit subsistentia proprii subiecti. Et hoc nihil aliud est nisi
 accidentis dependentiam terminare, et ita sustentificare isto modo est
 alicuius dependentiam terminare.

<Propositio 3>

2387 superius...declarata] Cf. supra n. 52.

2425 **217.** Tertia propositio est haec: sustentificari nihil aliud videtur
 exprimere quam quod aliquid subsistat subsistentia aliena. Ista
 propositio apparet, quia si sustentificare est alicuius dependentiam
 terminare, sequitur quod versa vice sustentificari est subsistere
 subsistentia aliena.

2430 **218.** Ex quibus propositionibus sequitur correlarie quod
 sustentificari est personalitate propria personari super ... rationibus
 conditivos formaliter repugnantes. Ista propositio apparet, nam
 personalitate propria personari est propria subsistentia subsistere nec
 esse aptum natum subsistere subsistentia aliena, et sustentificari est
 subsistere subsistentia aliena, sed ista sunt ad invicem repugnantia;
 ergo propositum. Ex quibus ulterius sequitur pars dubii negativa,
 2435 videlicet quod non est possibile Verbum assumere aliquam naturam
 personalitate propria personatam. Patet ista propter repugnantiam
 terminorum, quia tunc sequeretur quod talis natura assumpta esset
 persona et non esset persona, quia sequitur haec natura sustentificatur,
 ergo sequitur haec natura non subsistit subsistentia propria sed aliena.
 2440 Et ex hoc sequitur, ergo haec natura non est persona. Et ex alia parte,
 si est personalitate propria personata, sequitur quod est persona. Et ita
 apparet quod illa propositio implicat contradictionem quod Verbum
 assumit personam; quare propositum.

<Duae instantiae et responsio Petri>

2445 **219.** Sed contra istam conclusionem facio duas breves instantias.
 Et probo primo quod stat aliquid esse assumptum et tamen personam.
 Et nolo quod Deus multiplicet eandem naturam hic et Romae, et
 assumam ipsam Verbum divinum Parisius, non assumendo ipsam
 Romae. Tunc arguo ex isto casu possibili quod oppositum
 2450 conclusionis est possibile. Et arguo sic: haec natura est assumpta a
 Verbo divino Parisius, ergo haec natura est assumpta. Arguitur ab
 inferiori ad superius. Et ex alia parte arguo sic: haec natura est homo
 Romae, ergo haec natura est homo. Consequentia ista patet, quia
 arguitur ab inferiori ad superius, nam quod sit homo Romae est
 2455 inferius ad esse hominem. Sed assumptum probo, nam sequitur haec
 natura est natura intellectualis a nullo dependens Romae nec apta nata
 est dependere, ergo haec natura est persona] Romae et etiam est homo
 Romae. Et tunc arguitur sic: haec natura est a Verbo assumpta, et haec
 natura est persona, ergo persona est assumpta; antecedens est
 2460 possibile, ergo et consequens.

220. Praeterea, omnes rationes ad invicem repugnantes, vel sunt
 contrariae, vel contradictoriae, vel privative oppositae, vel relative.

2459 ergo...assumpta] in imo fol. C

Sed si istae rationes, videlicet sustentificari et personalitate propria personari, sunt ad invicem repugnantes, cum non sint contradictoriae ut apparet, nec privative vel relative oppositae, sequitur quod sunt contrarie oppositae. Nunc autem Deus potest facere contraria simul esse; ergo et hoc sibi facere non repugnat. Minor apparet, quia, ut alias dictum est, Deus potest facere album esse nigrum, quare similiter facere potest personam sustentificari. 2465

221. Ad primam rationem respondeo, admissio casu, praemitto unam distinctionem de isto termino 'homo' satis communem theologo quod poteest sumi dupliciter, videlicet connotative et absolute. Si sumatur connotative, contingit dupliciter: aut illud quod connotatur est pure affirmativum aut pure negativum. Si primo modo, haec est sua descriptio: homo est aliquid naturam humanam sustentificans et propria personalitate subsistens. Si sumatur secundo modo connotative, videlicet prout connotat puram negationem, haec est sua descriptio: homo est natura humana aliena subsistentia non subsistens sed propria ex inclinatione intrinseca apta nata nullatenus dependere. Si vero sumatur absolute, sic in eis definitione nec cadit affirmativa connotatio nec etiam negativa, ut sit haec sua descriptio: homo est natura intellectualis propria subsistens subsistentia ex condicione intrinseca mortalitati subiecta. 2470 2475 2480

222. Ad propositum igitur dico quod si iste terminus sumatur absolute in ista consequentia '*a* est homo hic, ergo *a* est homo', quod tunc consequentia est bona; sicut sequitur *a* est natura intellectualis propria subsistens subsistentia ex condicione intrinseca mortalitati subiecta, hic ergo *a* est natura intellectualis propria subsistens subsistentia ex condicione intrinseca mortalitate subiecta. Si etiam sumatur connotative prout connotatio denotat puram affirmationem, sic consequentia est bona, quia sequitur *a* est aliquid naturam humanam sustentificans et propria personalitate subsistens hic ergo *a* est sustentificans naturam humanam et proprie personalitate subsistens, et per consequens *a* est homo. Sed si sumatur connotative negative, sic consequentia illa nihil valet 'est homo hic ergo est homo'. Sicut non sequitur '*a* est natura humana aliena subsistentia non subsistens hic, ergo *a* est natura humana aliena subsistentia non subsistens'. Arguitur enim ab inferiori ad superius negative. Sicut si arguerem 'non sum Sortes, ergo non sum homo'. Dico igitur quod facta tali multiplicatione, illa natura adhuc non est persona, quia ratio personalitatis includit negationem duplicis dependentiae et ideo non sequitur 'est persona hic, ergo est persona', sicut non sequitur 'non unitur hic, ergo non unitur'. Nunc autem sequitur 'est persona, ergo 2490 2495 2500

C 239va

2470 Ad primam] Cf. supra n. 219.

est natura intellectualis a nullo dependens nec aptum natum
 2505 dependere'. Et per consequens ex opposito consequentis, 'est ab
 aliquo dependens et hoc in ratione subistendi, ergo non est persona'.
 Et per hoc apparet quod ratio personae non est homini intrinseca prout
 sumitur absolute. Et per istum modum loquuntur doctores antiqui cum
 dicunt ad homo est assumptus a Verbo. Similiter quilibet homo
 2510 creatus potest esse et non esse persona, et ita ratio personalis non est
 homini intrinseca prout sumitur absolute. Et ex hoc apparet quod
 contradictio est in terminis quod aliqua persona ab alio sustentificetur.

223. Ad secundam rationem cum dicitur quod omnes rationes ad
 invicem repugnantes vel sunt contrariae, contradictoriae, relative vel
 2515 privative oppositae, sed sustentificari et personalitate propria personari
 non sunt rationes contradictoriae nec relative oppositae vel privative,
 ergo ex quo sunt repugnantes sequitur quod sunt contrariae. Hic dico
 quod illa maior patitur calumniam ut apparet. Nam humanitas et
 asineitas habent repugnantiam et impossibilitatem, et tamen non
 2520 sunt proprie formae contrariae nec contradictoriae, et sic de aliis. Sed
 bene est repugnantia inter ipsas contradictionem formaliter
 antecedens, sic etiam est in proposito. Tamen quia dicitur de
 contrarietate, advertendum est quod contrarietas quaedam est positiva,
 et ista est rerum incomplexarum, et quaedam positionem pariter et
 2525 affirmationem includens et ista est complexorum, et universalis
 affirmative et universalis negative consimilium extremorum et
 copularum. Cum ergo communiter dicitur quod Deus potest facere
 contraria simul, intelligendum est de contrarietate primo modo, quia
 potest facere albedinem et nigredinem in eodem subiecto. Sed de
 2530 contrarietate secundo modo dicta non est verum, quoniam impossibile
 est contraria isto modo fore simul vera, quia si contraria isto modo
 essent simul vera, cum ex talibus contrariis sequuntur formaliter
 contradictoria, sequeretur quod Deus posset facere contradictoria
 simul vera quod est impossibilium maximum et supremum; quare
 2535 propositum. Sic igitur apparet quod ex aliquo defectu omnipotentiae,
 non provenit quod Deus personam non possit assumere, sed oritur ex
 repugnantia terminorum.

<Dubium 6. Propositio 1>

224. Sextum dubium fuerat istud: numquid quaelibet natura
 2540 infra latitudinem entis contenta sit a Verbo assumptibilis indistincte.
 Pro cuius declaratione quatuor pono propositiones. Quarum prima est
 haec: quodlibet in genere substantiae situatum est a Verbo
 assumptibile pariter vel seorsum. Ista conclusio sic probatur: quaelibet

2513 Ad secundam] Cf. supra n. 220. **2539** Sextum dubium] Cf. supra n. 85.

potentia passiva quae est in potestate alicuius agentis potest per illud
 agens ad actum educi; sed quaelibet substantia infra limites generis 2545
 clausa est in potentia obiectivali respectu Dei ad sustentificari per
 ipsum; ergo Deus potest cuiuslibet talis potentia ad actum educere.
 C 239vb] Consequentia et maior patent. Et minor probatur: quoniam aliqua
 substantia est in huiusmodi potentia obiectivali, et non est maior ratio
 de una quam de alia; ergo propositum. Prima propositio apparet de 2550
 Christi humanitate. Sed secunda probatur, quia si alicui repugnaret
 assumi, aut hoc esset propter sui perfectionem, aut propter sui
 imperfectionem, aut quia alicui est intrinseca ratio suppositalis.
 Primum non impedit, quia perfectiori creaturae non repugnat uniri 2555
 maiori perfectioni, quia ex hoc non imperficitur sed vigoratur. Nec
 secundum impedit, quia ex hoc Deus nullatenus intrinsece variatur.
 Nec tertium impedit, quia nulla est creata substantia cui talis ratio
 suppositalis sit annexa necessario, cum non videatur per quod
 perseitas tertii modi sit magis intrinseca individuis aliarum specierum
 quam individuis de specie humana. Quare sicut ipsis hoc non videtur 2560
 intrinsecum, ut tenemus de humanitate assumpta, ita nec aliis; et ita
 habetur propositum.

<Propositio 2>

225. Secunda propositio est haec: quodlibet accidens absolutum
 est a Verbo assumptibile sine repugnantia qualicumque. Ista conclusio 2565
 sic probatur: si accidens non esset assumptibile, hoc maxime videretur
 propter informationem, quia forsitan DICERETUR quod impossibile est
 quod alicui inhaereat vel insit quin informet illud. Sed CONTRA: hoc
 non obviat quoniam quodcumque sunt duae habitudines quarum
 neutra formaliter includit aliam, possibile est una ab alia de Dei 2570
 potentia separari. Sed habitudo informationis et habitudo
 sustentificationis sunt huiusmodi; ergo propositum. Consequentia et
 maior patent: probatur minor, quoniam secundum imaginationem
 diceretur quantitatem esse rem distinctam a substantia et qualitate;
 qualitas informat quantitatem, et tamen tam quantitas quam qualitas 2575
 subsistunt subsistentia subiecti. Et per consequens videtur quod
 habitudo informationis praesupponit habitudinem sustentificationis, et
 ita per consequens per prius est habitudo sustentificationis quam sit
 habitudo informationis. Sed quodlibet prius Deus potest separare sine
 contradictione a suo posteriori. Ergo potest conservare habitudinem 2580
 sustentificationis destruendo habitudinem informationis. Quo facto,
 cum talis habitudo nullam dicit imperfectionem, quia tunc nec etiam
 sumpsisset humanitatem cum ibi sit consimilis habitudo, sequitur

2580 suo] superiori *add. sed del. C*

quod absolute possibile est et sine quacumque repugnantia Deum
2585 assumere quodlibet accidens absolutum.

226. Et confirmatur, quoniam non minoris perfectionis est
Verbum ad sustentificandum quam una creata substantia. Ergo ubi ut
sic nulla ponitur imperfectio, et hoc potest creata substantia, sequitur
quod a fortiori hoc potest et ipsum Verbum; quod est propositum.

2590 <**Propositio 3**>

227. Tertia propositio est haec: non est possibile Verbum posse
assumere sine cuiuscumque absoluti praesentia relationem aliquam de
genere accidentis. Ista conclusio sic probatur: cui repugnat sine
absoluto exsistere, eidem repugnat sine absoluto assumi; sed relationi
2595 repugnat sine absoluto exsistere, quia ipsum exigitur in sua ratione
formali; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor
apparet, quia contradictio est quod unio sit et nihil sit unitum, et
similiter quod paternitas sit et nullus sit Pater, et sic de aliis; quare
propositum. Et ex hoc sequitur quod Verbum non potest assumere
2600 unionem quam terminat destruendo quodlibet aliud absolutum.

228. Confirmatur, quoniam Deus non potest supplere vicem
fundamenti relationis, quia huiusmodi habitudo denotat
potentialitatem et imperfectionem, et talis est relationi ex sua
condicione necessario annexa; quare propositum.

2605 <**Propositio 4**>

229. Quarta propositio est haec: aliquid infra ambitum entis
contentum quod non existit inhaerens relativo, non est a Verbo
assumptibile quovis modo. Haec propositio apparet, quoniam divinae
relationi, utpote paternitati, repugnat a Verbo assumi, cum quaelibet
2610 talis sit formaliter ratio suppositalis; ergo propositum.

230. Et ex hoc ulterius apparet quod ratio quare relatio creata
non potest assumi non est quia ratio assumptionis sibi directe
opponatur, sed quia ex sua natura non habet quod possit exsistere sine
suis extremis. Sed relationi divinae repugnat formaliter pro eo quod
2615 ipsa est formaliter ratio personalis. Unde ex hoc sequitur quod alicui
condicioni entis repugnat assumptibilitas per naturam. Patet de divinis
relationibus, et per hoc apparet magna differentia inter rationem
personalem in creatura et in divinis. Ibi namque est formaliter
negativa, et hic est formaliter positiva, aliter nulla esset personarum

Trinitas nisi solum negative quod falsum est. Et Magister in illo passu 2620
non tenet ut in I^o dictum est; quare propositum.

231. Ex quibus sequitur dubii pars negativa, videlicet quod non
quaelibet condicio infra ambitum entis contenta est a Verbo
assumptibilis indistincte. Patet de relationibus tam increatis quam
etiam creatis, licet repugnantia ex variis radicibus habeat ortum. 2625

<Aliqua dubia contra conclusiones 1 et 2>

232. Sed contra primam et secundam conclusiones simul, ut
ipsarum veritas magis appareat, arguo aliquibus mediis. Et primo sic:
nulla natura irrationalis est a Verbo assumptibilis, ergo conclusiones
illae falsae. Consequentia patet, et antecedens probatur, quia 2630
quandocumque aliqua sic se habent quod unum praesupponit aliud vel
est alio naturaliter posterius, quod non potest assequi rationem prioris
nec etiam posterioris. Verbi gratia, quia homo et animal sic se habent
quod ratio hominis praesupponit rationem animalis, ideo quod non
potest esse animal, non potest esse homo. 2635

233. Cum igitur unio hypostatica et unio beatifica sic se habent
quod quaelibet unio hypostatica est beatifica et non e contra, sequitur
quod illud quod ad beatificam unionem non potest assumi, etiam ad
hypostaticam unionem non potest assumi. Sed nulla creatura
irrationalis potest uniri Verbo beatificae, ergo nec hypostaticae. 2640

234. Et confirmatur, nam quod non potest sumi ad minorem
perfectionem ratione sui imperfectionis, a fortiori nec ad maiorem; sed
hypostatica unio est perfectior beatifica; ergo propositum. Maior
probatur quoniam subsistere subsistentia Verbi et habere eandem est
Deo subsistentiam] perfectius est quam solum intuitive Deum videre; 2645
sed primum habetur per unionem hypostaticam, et secundum per
visionem beatificam; ergo videtur quod perfectior est unio hypostatica
quam sit beatifica; quod est propositum.

235. Praeterea, quodlibet a Verbo assumptibile est assumptibile
ad unitatem personae; sed nulla creatura irrationalis est assumptibilis
ad unitate personae; ergo nulla talis est assumptibilis a Verbo. 2650
Consequentia patet. Et maior probatur, quoniam ratio suppositalis
Verbi est formaliter personalitas, et per consequens quodlibet, cuius

2621 est] *sup. lin. a. m. C*

2620 Magister] Cf. PETRI LOMBARDI, *Sent. in IV Libris Dist.*, I, d. 2 (ed. I. BRADY, I, p. 61-68).

dependentiam potest terminare, est assumptibile ad unitatem personae,
2655 quoniam subsisteret Verbi personalitate.

236. Et confirmatur, nam vel assumeret ad unitatem essentiae
vel personae. Et quodcumque istorum detur, sequitur quod assumeret
ad unitatem personae, et ita quodlibet a Verbo assumptibile est
assumptibile ad unitatem personae. Et minor apparet, quia creatura
2660 rationalis cum non sit creatura intellectualis; quare propositum.

237. Praeterea, materia prima non est a Verbo assumptibilis,
ergo conclusio prima falsa. Consequentia patet, quia materia prima
videtur in genere substantiae collocari. Et antecedens probatur, quia si
materia prima assumeretur et hoc per se, vel ipsa esset unita Verbo
2665 singularis entitas vel universalis. Secundum non potest dari, quia
nullum tale videtur possibile. Nec primo modo, quia tunc materia
prima esset haec de se hic et singularis, et per consequens esset actus
et forma, et ita non esset materia prima; ergo cum rationi materiae
primae repugnat per se esse, sequitur quod eidem repugnat per se a
2670 Verbo assumi; quare propositum.

<Responsio ad dubia supra dicta>

238. Ad istas rationes respondeo. Ad primam quae tangit de
unione hypostatica et beatifica, dico quod unio hypostatica et beatifica
non sunt necessario connexae, sicut apparet etiam per fidem. Nam in
2675 triduo Verbum erat corpori unitum quod erat quaedam creatura
irrationalis, et tamen tali corpori non erat beatitudo. Et ideo licet de
facto ita sit nunc quod unitum hypostaticae sit beatum, non tamen est
necessaria connexio, et cum dicitur de perfectione, dico quod
sumendo unionem hypostaticam ut praescinditur a beatifica, quod
2680 perfectior est beatifica quam sit hypostatica, quia ipsa est praecedens
secundum rationem essentialem, et alia secundum rationem
notionalem, et ideo perfectius est esse beatum quam esse sic unitum.
Sed de isto melius in sequenti dubio videbitur.

239. Ad secundam rationem cum dicitur quod omne
2685 assumptibile est ad unitatem personae assumptibile et nulla creatura
irrationalis est ad unitatem personae assumptibilis, ergo propositum.
Hic breviter dico quod assumi unitatem personae potest dupliciter
intelligi: vel ita quod Verbi personalitas terminet unionem naturae
assumptae nihil ulterius connotando, vel cum hoc quod terminet
2690 dependentiam talis naturae connotet ipsam naturam esse personabilem
quoniam si relinqueretur esset persona. Si primo modo intelligatur,
non video quin quodlibet a Verbo assumptibile sit assumptibile ad
unitatem personae. Si vero secundo modo non, quia tunc unitas

C 240va

2672 Ad primam] Cf. supra n. 232. **2684** Ad secundam] Cf. supra n. 233.

personae connotat quod quodlibet unitorum, si per se esset, foret persona, et sic absque dubio asinus non posset assumi ad unitatem personae, sed potius ad unitatem suppositi, quia quodlibet unitorum si per se esset, esset suppositum. Sic etiam loquendo accidens absolutum non posset assumi ad unitatem suppositi sed bene ad unitatem singularis, quia accidens si naturae propriae relinquitur, non potest per se subsistere, est tamen singulare. Et per hoc apparet quod apud theologum inter singulare et suppositum differentia reperitur. 2695 2700

240. Ad tertium cum dicitur de materia prima quod non potest per se assumi quia non potest per se subsistere, hic dico quod non video, ex quo materia ponitur entitas absoluta distincta a forma, quin Deus posset facere materiam sine forma; quod si faceret, dico quod non aliter esset tunc actus quam nunc et hoc intrinsece; unde non dicitur materia prima pura potentia ad esse. Sic enim non esset substantia, sed ponitur pura potentia quoad rationem causaliter effectivam. Et hoc verum est quod nulla sibi correspondet effectiva causalitas, et huius signum est quia nulli actioni contrariatur sive resistit ipsa materia prima sed est omnium transmutationum indifferenter et communiter receptiva. Sic igitur apparet quod sibi non repugnat quin posset per se subsistere de Dei potentia absoluta. 2705 2710

<Dubium 7>

241. Septimum dubium fuerat istud: si Verbum divinum potuit assumere naturam aliquam peccantem. Pro huius declaratione primo dicam quid super hoc senserunt communiter doctores antiqui; secundo quid senserunt quidam moderni, et tertio tradam quandam viam meo iudicio tutiorem. 2715

<Primus modus dicendi. Propositio 1>

242. Quantum ad primum modum exprimendi ponuntur duae propositiones. Quarum prima est haec: non stat aliquem divinitatis frui substantia et ipsum maculis mortalis criminis deturpari. Ista propositio sic probatur: non stat aliquem habere condignitatem ad praemium aeternum et condignitatem ad supplicium aeternum. Sed ex hoc quod aliquis fruitur Deo habet condignitatem ad praemium aeternum. Et ex hoc quod est in peccato mortali habet condignitatem ad poenam aeternam. Ergo non stat quod aliquis Deo fruatur et sit in peccato mortali; quod est propositum. Consequentia et maior patent. Et minor pro qualibet sui parte probatur: nam ex hoc quod aliquis servat divina mandata redditur dignus vita aeterna iuxta illud Salvatoris dictum: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Sed ex hoc quod fruitur Deo 2725 2730

2702 Ad tertium] Cf. supra n. 237. **2715** Septimum dubium] Cf. supra n. 85. **2731** si...732 mandata] Matt. 19,17.

servat divina mandata, cum fruitio sit Dei super omnia dilectio. Ergo ex hoc quod quis fruitur Deo reddit se dignum praemio aeterno. Et
 2735 secunda pars minoris apparet, quia oppositorum sunt opposita praemia in moralibus et in quibuscumque actibus quia subiacent iustitiae commutativae vel distributivae. Cum igitur peccatum mortale sit actus vel omissio contra legem Dei, sequitur quod si observationi legis correspondet aeterna gloria,| quod peccato correspondebit aeterna
 2740 miseria; quare propositum. C 240vb

243. Praeterea, impossiibile est aliquem frui duobus obiectis realiter distinctivis; sed ex hoc quod quis fruitur Deo et peccat mortaliter, fruitur duobus obiectis realiter distinctis; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior probatur, quoniam fruitione ordinata
 2745 impossibile est aliquem frui duobus obiectis realiter distinctis, quia impossibile est duo existere obiecta ordinate fruibilia. Similiter fruitione inordinata hoc est impossibile, quia tunc quodlibet illorum plus diligeret quam quodcumque ab eo distinctum, et sic ratione plus diligeret quam diligat quod est impossibile. Et minor probatur, nam ex
 2750 hoc quod quis peccat, avertit se ab incommutabili bono ad commutabile bonum, et per consequens fruitur commutabili bono, et ex alia parte fruitur incommutabili bono; ergo si peccat mortaliter et fruitur Deo, sequitur quod fruitur duobus obiectis realiter distinctis; quare propositum.

2755 <Propositio 2>

244. Secunda propositio est haec: non est possibile aliquam creaturam rationalem hypostatice Verbo uniri et ipsam non frui immensa substantia deitatis. Ista conclusio sic probatur: positis causis sufficientibus ad hoc quod ponatur fruitio, ponitur et ipsa fruitio; sed
 2760 causa sufficiens fruitionis est praesentia obiecti fruibilis intellectui ostensa sine aenigmate; ergo hoc posito intellectu necessario sequitur fruitio in voluntate. Sed ex unione hypostatica habetur necessario praesentia deitatis intellectui ostensa sine aenigmate; ergo propositum. Consequentia patet, sed minor ultimo sumpta probatur, quoniam si
 2765 oculus posset videre lucem inexistentem sibi, necessario ad praesentiam lucis videret lucem existentem in oculo. Cum igitur per istam unionem lux increata sit praesens intellectui, sequitur quod intellectus creatus necessario per ipsam lucem increatam videt ipsammet lucem increatam. Cum igitur ex hoc necessario sequatur
 2770 fruitio, sequitur quod non stat aliquid Deo uniri et ipso non frui.

245. Praeterea, dato conclusionis opposito, sequeretur quod staret aliquam creaturam rationalem sic Deo uniri et tamen esse

2744 patet] scrip. pos. maior sed corr. signis transp. C

damnatam. Consequens est impossibile, ergo et antecedens. Cuius impossibilitas ex hoc apparet, quia tunc Deus esset damnatus et per consequens summe beatus esset damnatus, quod est absurdum. Et consequentia probatur, nam ex quo stat ipsam creaturam sic uniri et tamen non frui, stat consimiliter quod eliciat odium respectu Dei et sic finaliter perseverare. Sed ex hoc sequitur quod ipsa est vel erit damnata; ergo propositum. Et consimiliter potest argui quod Deus sit diabolus, sit causa cupabilis inducens damnationem generis humani, quae omnia abhorreret auditus; quare propositum. 2775 2780

246. Praeterea, non stat habitum gloriae exsistere in anima alicuius creaturae rationalis et ipsam non frui Deo; sed perfectius immutat creaturam rationalem praesentia deitatis quam non faciat aliquis habitus gloriae, ergo ubi est ipsa deitatis praesentia, secundum se impossibile est quod non sequatur fruitio. Cum igitur ex hypostatica unione deitas sit ipsi creaturae rationali praesens et intima sequitur propositum. 2785

247. Et ex istis duabus conclusionibus sequitur correlarie iuxta imaginationem ipsorum propositio ad dubium responsiva, videlicet quod impossibile est Verbum divinum assumere naturam aliquam peccatricem. Ista propositio apparet, nam ex hoc quod aliquid unitur Verbo hypostatice, fruitur Deo, ut vult secunda propositio. Sed ex hoc quod aliquid peccat mortaliter non fruitur Deo, ut vult prima propositio. Ergo ex hoc quod aliquid peccat mortaliter, non unitur Deo hypostatice, et per consequens cum omnis causalis vera sit necessaria, sequitur quod impossibile est Verbum assumere naturam peccatricem, quod est dubii decisivum. 2790 2795

248. Modus et imaginatio istorum doctorum: existit habitus intellectualis positus in intellectu, vel ut repraesentet obiectum, vel ut faciliat potentiam ad praecipendum obiectum; propter enim alteram istarum rationum ponitur lumen gloriae in beatis. Nunc autem quia in unione hypostatica deitas ipsa est modo specialissimo praesens intellectui, et hoc per modum cuiusdam specialis illapsus, ideo potentia cui sic est praesens non indiget huiusmodi habitu, sed sibi sufficit sola praesentia deitatis. Quam igitur habitu gloriae inexistente tali potentiae ipsa nullatenus diceretur peccatrix, tam etiam ex tali deitatis praesentia quae proventi ex hypostatica unione. 2800 2805

<Secundus modus dicendi. Propositio 1>

2790 ad dubium] Cf. supra n. 241. 2793 secunda propositio] Cf. supra n. 244. 2794 prima propositio] Cf. supra n. 242-243.

2810 **249.** Sed isti modo contrariatur positio quorundam
 modernorum. Pro quorum positione pono duas propositiones. Quarum
 prima est haec: stat aliquid Deo uniri hypostatice et ipsum carere omni
 actu libere fruitivo. Ista propositio sic probatur: nam unio hypostatica
 in hoc consistit formaliter quod per ipsam suppletur condicio proprii
 2815 suppositi; sed ratio proprii suppositi non habet ex hoc inferre naturam
 cuiusmodi est ratio suppositalis habere actum fruitivum; ergo nec unio
 hypostatica hoc inducit formaliter, et per consequens stat ipsam esse
 respectu alicuius creaturae rationalis et talem creaturam non habere
 aliquem actum fruitivum; ergo nec unio hypostatica hoc inducit
 2820 formaliter, et per consequens stat ipsam esse respectu alicuius
 creaturae rationalis.

250. Confirmatur ratio, nam si natura iam assumpta dimitteretur,
 haberet proprium subsistentem; sed ex hoc quod unitur Verbo nil capit
 formaliter nisi subsistere, quia subsistit subsistentia Verbi, cum ex hoc
 2825 non capiat formaliter esse beatificum, aliter in triduo corpus Christi
 fuisset beatum, quod non videtur verum; quare propositum.

<Propositio 2>

251. Secunda propositio est haec: stat aliquid esse Verbo unitum
 et illud culpabiliter operari. Ista propositio sic probatur: condicio
 2830 indifferens ex se ad gratiam et culpam stat possibiliter cum utraque;
 talis est unio hypostatica; ergo propositum. Probatur minor, nam ex
 hoc| quod quis unitur Deo, non sequitur ipsum frui Deo, ut dicit
 praecedens conclusio. Ergo cum tali unione stat omnis condicio
 libertatis in creatura quae erat sine tali unione, cum igitur ante talem
 2835 unionem habebat culpabiliter operari, sequitur quod et stante tali
 unione sibi non repugnat culpabiliter operari.

252. Ex quibus propositionibus isti concedunt dubii partem
 affirmativam. Unde ulterius isti concedunt quod Deus potest assumere
 naturam diabolicam, naturam damnatam, et sic per consequens dicitur
 2840 peccator et damnatus, quia nullum, ut dicunt, videtur inconueniens
 illum qui est essentialiter infinitae bonus dici malum, secundum
 naturam assumptam, et damnatum, et sic de talibus denominationibus.
 Nam sicut ex hoc quod Verbum sustentificat naturam humanam
 dicitur homo, ita ex hoc quod sustentificat naturam damnatam dicitur
 2845 damnatus et similiter peccator. In duobus ergo consistit fundamentum
 istorum. Primum est quod unio hypostatica nec est culpae impeditiva
 nec gloriae illativa. Secundum est quod facta aliqua unione cum aliqua
 natura culpabiliter deficiente denominatio concretiva consurgens ex
 2850 de supposito divino, sicut nunc est de denominatione concretiva
 humanitatis.

<Tertius modus dicendi: Sententia auctoris. Propositio 1>

253. Sed licet quilibet istorum modorum videatur magnorum doctorum, verumtamen inter ipsos mediando potest elici modus tertius verior iudicio meo. Pro huius declaratione pono certas propositiones. Quarum prima est haec: nulla privatio sumpta formaliter potest exsistere fundamentum alicuius relationis realis. Ista propositio apparet, quoniam impossibile est quod ens dependeat a non-ente; sed quaelibet relatio inhaerens dependet a suo fundamento. Cum igitur relatio realis sit ens, privatio vero non sit ens, sequitur quod impossibile est aliquam relationem realem fundari in privatione.

254. Praeterea, si in privatione posset fundari realis relatio, eadem ratione et in negatione. Tunc sequitur quod inter non-entia esset comparatio realis et per consequens differentia, et ita sequitur quod qua ratione conceditur quod Sortes differt a Platone, eadem ratione deberet concedi quod chimaera differt a non-ente, quod non videtur verum; quare propositum.

<Propositio 2>

255. Secunda propositio est haec: istae denominationes peccator malus et sic desimilibus sunt denominationes formaliter privativae. Ista conclusio apparet, quoniam peccatum ut sic est formaliter privativum, aliter esset a Deo effective quod non videtur verum; quare propositum. Consequentia ista patet quia denominationes huiusmodi consurgunt formaliter ex peccato, sicut a caecitate caecus, et sic de similibus.

<Propositio 3>

256. Tertia propositio est haec: Verbum non potest sustentificare naturam aliquam sub ratione privationis. Ista conclusio sic probatur et est quasi sequens ex prima, quia tunc Verbum terminaret aliquam privationem, et per consequens talis privatio esset fundamentum relationes realis; consequens est falsum et contra primam conclusionem; quare propositum. Ex qua conclusione sequitur quod Verbum non potest assumere naturam aliquam sub ratione maculae criminalis. Apparet, quia ipsa est formaliter privatio; quare propositum.

<Propositio 4>

257. Quarta propositio est haec: denominatio privativa formaliter non potest de Deo dici essentialiter et quiditative. Ista propositio apparet, quia omnis privatio dicit formaliter imperfectionem; sed nihil tale dicitur de Deo essentialiter et quiditative; ergo propositum. Ex quo apparet quod praedicata quae de

2878 ex prima] Cf. supra n. 253.

Deo attribuimus, utpote 'immateriale', 'immortale' non sunt proprie privativa sed potius negativa, ratio est 'non-materialis', 'non-mortalis', et sic de aliis, constat enim quod privationes dicunt carentiam debiti; quare propositum.

2895

<Propositio 5>

258. Quinta propositio est haec: nulla privatio dicitur de Deo causaliter et executive. Ista propositio apparet, quia privationes non habent causam effectivam sed defectivam; sed impossibile est Deo causalitatem defectivam si causalitas debet dici; ergo propositum.

2900

<Propositio 6>

259. Sexta propositio: nulla privatio culpabilis est per accidens de Deo dicibilis quovis modo. Ista propositio apparet ex hoc quoniam si aliquo modo posset sibi competere, hoc maxime videretur in sustentificando aliquam naturam peccatricem; sed talem naturam non potest sustentificare sub illa consideratione, ut dicit tertia propositio, quia tunc privatio esset fundamentum relationis realis; quare propositum.

2905

<Propositio 7>

260. Septima propositio est haec: impossibile est de Deo praedicationes huiusmodi 'malus', 'iniustus', 'peccator' et sic de similibus praedicari. Ista quodammodo sequitur ex praemissis. Nam omnis praedicatio vel est identica causalis vel per accidens sive per modum sustentificationis; sed talis praedicatio Deus est malus non potest esse identica ut vult quarta propositio; nec causalis ut vult quinta, nec per accidens ut vult sexta, nec per modum sustentificationis ut vult tertia. Ergo sequitur quod cum omnis praedicatio sit identica causalis vel per accidens vel hypostatica, et nullum illarum contingit illam propositionem verificari de possibili, quod ipsa est impossibilis; quare propositum.

2915

2920

<Propositio 8>

261. Octava propositio est haec: si Deus naturam peccatricem assumeret, peccator aliquatenus diceretur. Probatur ista propositio: nam poantur, sive per possibile vel impossibile, ut Deus assumat naturam peccatricem probo non ex hoc diceretur peccator, quia aut haec denominatio competeret Deo per hoc quod actus peccandi esset a

2899 dici] competere *add. sed del. C* 2921 haec] non *add. C*

2905 tertia propositio] Cf. supra n. 256. 2914 quarta propositio] Cf. supra n. 257. || vult quinta] Cf. supra n. 258. 2915 vult sexta] Cf. supra n. 259. 2916 vult tertia] Cf. supra n. 256.

natura quam sustentificat ipse Deus, aut quia assumpsit talem naturam sub ratione peccati. Secundum est impossibile ut prius deductum. Sed probo quod similiter et primum non sit Verbum, nam idem actus est a Deo et a creatura, et tamen quamvis Deus dicatur producere talem actum, non tamen concurrat ad difformitatem quia non potest peccare. Ergo constante unione dicatur illum actum producere, non propter hoc sequitur quod concurrat ad difformitatem actus, et per consequens per illum actum adhuc suppositum divinum non diceretur peccare, quare per hoc non diceretur peccator. 2930

<Obiectio quaedam et responsio auctoris> 2935

C 241vb **262.** Sed forsā] contra hoc DICATUR quod Christus dicebatur mereri per hoc quod natura assumpta merebatur, ergo per hoc diceretur demereri quia natura assumpta demeretur. Hic DICO quod non est simile et ratio est quia concretive denominantur consurgentes ex merito, non sunt formaliter Deo repugnantes sicut nec esse hominem et sic de aliis. Nunc autem peccare repugnat Deo formaliter qualitercumque sumatur, quia nec in aliena natura potest deficere nec etiam in se ipso. 2940

<Alia obiectio et responsio Petri>

263. Et si DICATUR quod actus naturae imputabilis est etiam supposito cum singulis circumstantiis actus, DICO quod hoc non est verum nisi imputabilitas talis extiterit quod rationi suppositali non repugnat, cuiusmodi non est in proposito, ut prius fuit declaratum. 2945

<Propositio 9>

264. Nona propositio est haec: nullam implicat repugnantiam Verbum divinum naturam aliquam assumere peccatricem. Ista propositio apparet, quia aut repugnaret quod talis natura non posset uniri nisi fueretur, et hoc non impedit ut alias dictum est, quia unio hypostatica non est formaliter beatifica. Nec etiam dicit formaliter denominationem perfectionis simpliciter. Aut propter hoc quia ex hoc Deus esset daemon et sic de aliis. Et hoc non, quia denominationes includentes rationes culpabiles non sunt de Deo dicibiles quovis modo, et ergo non apparet repugnantia quare Deus non posset talem naturam assumere, cum hoc Dei extollat omnipotentiam, nec aliquid indecens de ipso dicatur. 2950 2955 2960

265. Imaginatio ergo in hoc consistit, quia privatio non potest esse realis relationis fundamentum, et unio hypostatica sit quaedam realis relatio, sequitur quod privatio non potest esse fundamentum unionis hypostaticae. Nunc autem peccatum privatio est, et ideo sub tali

2931 actum] *mg.* C

2965 condicione Verbum non potest naturae dependentiam terminare. Nec
 etiam potest esse in sua essentia privatio formaliter, nec etiam
 causaliter vel per accidens, ideo non apparet qualiter denominationes
 deformitates exprimentes possunt dici de Deo. Tamen quia unio
 2970 hypostatica ex vi suae condicionis non habet stabilire creaturam
 rationalem in bono, ideo sine contradictione staret ipsam uniri sic
 hypostatice et tamen culpabiliter operari. Nec deformitates ex hoc plus
 essent imputandae divino supposito quam sit modo toti Trinitati.

266. Et per hoc apparet quod prima via deficit in fundamento.
 Imaginantur enim unionem hypostaticam ut sic dicere
 2975 denominationem perfectionis simpliciter, quod superius improbatum
 est. Sic enim Pater et Spiritus Sanctus fuissent incarnati, nam
 incarnatio ut sic non est perfectior generatione aeterna, et tamen ut sic
 non dicit denominationes perfectionis simpliciter, cum Spiritui Sancto
 nec activa generatio competat nec passiva.

2980 **267.** Similiter secunda via deficit in hoc quod ex unione tali
 infert generaliter omnem denominationem concretivam dici de divino
 supposito, quod falsum est etiam de defectibus penalibus. nam, ut dicit
 Magister, Christus ignorantiam non assumpsit. Unde etsi naturam
 ignorantem| assumpsisset, non propter hoc diceretur ignorans.

2985 **268.** Est ergo ista via media magis rationabilis in fundamento
 quam sit prima, et minus larga quam sit secunda, et per hoc apparet
 quod prima ratio adducta pro confirmatione secundae conclusionis
 primae opinionis non concludit. Nam cum dicit quod esset aliqua lux
 in oculo, si oculus esset perceptivus cuiuslibet existentis in ipso per
 2990 ipsam lucem, videret ipsam lucem, ergo similiter est de luce increata
 quae remittitur alicui creaturae rationali quod eo ipso quod sibi unitur
 statim talis potentia debet ipsam lucem increatam videre. Breviter dico
 quod non est simile, quia lux creata mere naturaliter movet; non sic
 autem lux increata. Et ideo stat quod uniatur alicui quod non fruatur
 2995 ipsa lux increata.

269. Secundum argumentum non facit contra hanc positionem.
 Argumenta pro alia opinione adducta, licet assumant vera, tamen
 communiter nihil valet. Unde sicut non sequitur ‘Deus producit
 eundem actum quem producit peccator propter quem dicitur peccator,
 3000 ergo Deus est peccator’. Ita in proposito, et per omnia consimilis
 responsio est danda.

2973 prima via] Cf. supra n. 8-10. **2980** secunda via] Cf. supra n. 13-14. **2983**
 Magister] PETRI LOMBARDI, *Sent. in IV Libris Dist.*, III, d. 15, c. 1, n. 5 (ed. I. BRADY, III,
 p. 94): “Non enim assumpsit ignorantiam aliquam, cum sit ignorantia quadam quae
 defectus est nec peccatum est.” **2987** prima ratio] Cf. supra n. 244. **2996** Secundum
 argumentum] Cf. supra n. 252.

<Dubium 8>

270. Et per hoc patet ad octavum dubium cum quaeritur numquid Verbum posset assumere aliquam naturam rationalem ipsa unionem huiusmodi ignorante, apparet quod sic cum talis unio non potest formari nisi per regulationem etiam a creatura quae sustentificatur. Et in hoc iste primus articulus terminatur. 3005

3003 octavum dubium] Cf. supra n. 85.